



2  
13  
2

1717.

22 Schulzias, Joannes Henricus : De elleboris misericordum.

23. Stahlia, Georgius Henrichs : De rariis morbis

24<sup>a</sup>-<sup>b</sup> = Thomensis, Christianus : De charactere et cœcum spectaculo  
medicis et curandam facilius habens processum atque  
ut 2 exempl.

25<sup>a</sup>-<sup>b</sup> = Thomensis, Christianus : De emendantibus quibusdam  
estiam protractionibus, in materia iuramenti parti  
a parte in iurio delati, hactenus receptis  
2 exempl.

26<sup>a</sup>-<sup>b</sup> = Thomensis, Christianus : Dissertatio in quo subservit  
emendatione administrationis justitiae nego facilius,  
neque impeditum, nescirem officium esse et  
cuncte suscipiendum.

26<sup>a</sup>-<sup>b</sup> = Thomensis, Christianus : De hypotheca facta propter  
pecuniam carbicam. 2 exempl. 1717 : 1729

27<sup>a</sup>-<sup>b</sup> = Thomensis, Christianus : De aequalitate cerebrina  
et cœgiis ut prædicta legis Amerikianae. 3. Exempl.

und in jedem Lande, auch und insbesondere  
in den Ländern, die nicht mehr  
ihre Freiheit verloren haben, ist es  
die einzige und einzige Macht, welche  
wirkt.

Und das bestimmt, was ich nun  
durch diesen Aufsatz ausdrücken will.  
Diese Arbeit ist die einzige in Europa,  
welche

oder ganz anders, anders, wenn ich  
dich von einigen anderen Schriften erzähle  
die mir offen sind, die ich nicht mehr  
haben kann, aber die ich sehr gern habe  
durch diese gelesen habe.

Also, ich will dir  
etwas darüber erzählen, was ich  
in diesem Lande gefunden habe.





1193

Q. D. E. V.  
DISPUTATIO JURIDICA

1717  
29a

DE  
**CHARACTERE**  
**& CIRCUMSPECTIONE**  
**MEDICI AD CURANDAM TÆ-**  
**DIOSITATEM PROCESSUUM**  
**ADHIBENDI,**

Quam

RECTOR E MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DOMINO CAROLO,**

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE  
BRANDENBURG. reliqua,

IN REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

**DN. CHRISTIANO THOMASIO,**

JCTO, S. REG. MAJ. BORUSS. CONSILIARIO INTIMO,  
ACADEMIÆ DIRECTORE, PROFESSORE JURIS PRIMARIO, AC  
FACULTATIS JURIDICÆ PRÆSIDE ORDINARIO,

*Ad d. 29. Julii M DCC XVII.*

horis locoque solitis,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET,

**JOHANNES JACOBVS DANN,**  
REUTTLINGENSIS.

---

*HALÆ MAGDEBURGICÆ, Literis Salfeldianis,*

# CHARACTRE DE CIRCONSCRIPTIONE MEDICI AD CARANDAM DISCIPLINAM PROGRESSUM ADIBENDI

A title page from a Latin manuscript. The text is arranged in several lines at the top and bottom of the page. The main title 'JOHANNES LACOBUS PANI' is at the bottom, flanked by decorative flourishes. Above it, the text reads: 'REUTLINGENSIS', 'LACOBUS PANI', 'TANNO', 'TANNO INSTITUTIONE ET MANNERI', 'PONENS IACOBUS PANI'. At the very top, there is a large, stylized title: 'DU. CHRISTIANO THOMASIO', 'ACCEDUNT DIRIGUNTUR HONORABILISSIMA BIBLIOTECAE', 'AC', 'ACADEMIE IMPERICIAE VENETICAE LIBRARIA', 'AC', 'REG. E. REX MAG. BORGH. CONSIL. VENET. LIBRARIO', 'AC', 'DU. CHRISTIANO THOMASIO', 'IN REGLIA FONDATRICIA', 'PRINCIPALIS BORGHESIA', 'MARCIIONE', 'DOMINO CRODO', 'SERVANSIMO PRINCIPALI DE DOMINA', 'EXCELSA MAGNITUDINE LIBRARIA', 'QD'.



eritiam ut innotescat magis. .XXX. & aliorum  
alibet opinio. .VXX. & nonnullas resolutas agunt  
.VXX. & cunctem etiamque

## *Contenta Disputationis.*

**R**ationes cur frustrance videatur hac dissertatio. §. I.  
Responsio ad eandem. §. II. In specie de Danis & Sue-  
cis. §. III. Requisitum 1. Judicij Naturalis. §. IV.  
2. Temperamenti letioris, sed nemini nocentis. §. V.  
3. Provecte artis & experientie. §. VI. 4. Ut calleat  
doctrinam inveniende veritatem & interpretandi. §. VII. 5.  
Item Philosophiam genuinam Moralem. §. IX. Porro 6.  
Principia communia prudentiae Consultatorie. §. IX. Et  
Civilis seu Politice. §. X. 7. Historiam Civilem & Eccle-  
siasticam. §. XI. Præcipue historiam Scholarum & Aca-  
demiarum. §. XII. Historiam Judiciorum seu Processus Ju-  
diciarii. §. XIII. Historiam odii inter Professores Juris &  
Scabinos in Germania, & in specie in Saxonia. §. XIV.  
8. Fundamenta genuina Juri Nature & Gentium. §. XV.  
9. Jus Justinianum & Canonicum, & ut intuitu uriusque sit  
affilius vacuis. §. XVI. 10. Jus publicum Imperii Ger-  
manici. §. XVII. Responsio ad Objectionem de Impossi-  
bilitate emendationis, si tot & tanta studia ad Medicum Ju-  
stitiæ requirantur. §. XVIII. Porro debet Medicus Justi-  
tie

tie concipere perspicuas ideas II. celeris administrationis  
Iustitiae. §. XIX. 12. Conceptus valde distinctos formare  
de longevitate processuum & protractione Iustitiae. §. XX.  
Item 13. de causa principali & quasi radice hujus protra-  
ctionis. §. XXI. 14. De remedio ad tollendum hoc ma-  
lum ineptis. §. XXII. Et aperte tam ratione emendationis  
omnimoda. §. XXIII. Quam ratione cautionis ne malum  
interim altiores radices agat. §. XXIV. Conclusio additis  
quibusnam menitis. §. XXV.



De Cha-

1195



De

# CHARACTERE ET CIR- CUMSPECTIONE MEDICI AD CURANDAM TÆDIOSITA- TEM PROCESSUUM ADHI- BENDI.

§. I.



Nimus est, ea, quæ paucis lineis de *Rationes cur qualitatibus Doctoris ad consilium frufranca de tædiosa justitiaz administratione videatur hæc adhibendi, alibi a) summatim di- dissertatio.* Eta sunt, fusi deducere atque de- a) De emend. monstrare. Ubi statim ab initio du- admin. justit. b) difficult. §. ult.

indicata fuit, eruditio in Confiliario, an tot ambages ibidem etiam notatae in consilio ipso, requirantur, & annon potius quilibet homo sanæ mentis & judicio aliquali prædictus omnes ambages processus uno quasi iectu præscindendo, & nihil, nisi quæ ad solam facti veritatem pertinent, admittendo, longe sit aptior, ad diu desideratam haec tenus processuum in Germania receptorum abbreviationem. Sa- ne id diffiteri non possumus, per eruditos tædiositatem pro-

A processum

cessuum in Germania fuisse introductam, per eosdem & per haec tenus ab illis frustra tentata remedia, malum hoc maxima ibique incrementa sumfisse: Ad oculum demonstrari posse, vel exemplo judicij Salomonei, vel quolibet casu, sive de actione reali, sive de personali formato, quod etiam controversiae difficilis probationis, si judex ingenuus pro suo arbitrio processum dirigat, aut partes ipsæ promptam controversiæ decisionem ferio intendant, vel intra brevissimum vel saltem intra breve temporis, & regulariter unius mensis haud excedens, spatium definiri posse. Sed negannis tamen, exinde multum accedere posse ad confirmationem dubii propositi, et si videamus eas rationes vel similes movisse JCtum, dum viveret, Illustrum & communem prope Germaniæ Doctorem, ut de hoc negotio sic scriberet.

b) Dissert. b) ita adeo plus spei superesset, si jurium de judicio imperiti, prudentia tamen naturali pollentes, & experientia negotiorum publicorum instructi huic negotio adhiberentur, ut illi duetu naturalis prudentiae modum prescriberent, quomodo subditorum controversiæ levato velo prout in l. 5. C. de naufrag. dicitur, (hoc est, ut sequentia docent, admisisse saltem iis, que ad veritatem facti monstrandam pertinent) componerentur. Ubi pari felicitate res hec succederet, quam Sueci Danique in suis experiuntur Regnis, ubi promptissima cuivis patefetur juris persecutio, ignoratis penitus processuum tricis & ambagibus,

### §. II.

*Responsio  
ad easdem.*

Sed ad ista quidem facilis & multiplex est responsio. Eruditi quidem & Doctores corruerunt jurisprudentiam & administrationem justitiae, & adhuc corrumpunt, ipsa tamen vera eruditio & doctrina non est in causa, sed quod haec tenus pro eruditione habita fuerit scientia rerum subtilium, inutilium, noxiarum, recensio ex memoria multarum propositionum vel sententiarum, vel utcunque, vel etiam male cohaerentium, aut nihil ad rhombum facientium, conscriptio consilii alicujus aut libri cuiuscunque ex locis communibus, nihil nisi frustula, serica, lanea, linea,

nea, diversarum materiarum & infinitorum colorum continentibus, conscriptio, præmisisis multis commendationibus sociorum similium ornata, uno verbo vana & falsa eruditio. Unde ab uno extremo non statim ad alterum erit procedendum, & à medico requirendum, ut & vera eruditione careat. Quin potius res invertenda est, & quia falsa eruditio morbi causa est, ideo vera eruditione opus est, tum ad removendam à throno falsam eruditionem, tum ad curandum morbum. Ita si v. g. agyrta medicamentis ineptis morbos corporis auxerunt, ad curam propterea non adhibentur homines naturali saltem judicio & experientia pollentes, cætera vero intuitu medicinæ plane indocti, sed omnino genuini & verè eruditæ Medici opera summe est necessaria. Deinde, uti non omnes Reges sunt Salomones, ita à potestate extraordinaria & summa Regum, ad potestatem ordinariam judicium inferiorum argumentum firmum ducere non licet. Præscribendus est judici talis processus, ut ejus partialitas vel imperitia eo non observato doceri posset, & secundum quem partibus, etiam invitis, absque lassione tamen juris sui, præscindantur occasiones impediendi promptam controversiæ decisioñem. Porro sunt variae eaque infinite circumstantiae, quæ non permittunt, ut tam promtè controversia discuti posset ac si istæ non adessent. Non bonum insuper omen est, quod eo momento, quo Doctores juris Civilis & Canonici à consilio idoneo & apto tantum non excludantur, & solum homines prudentia naturali pollentes requiruntur, ad phrasin levato velo allegatur *l.5. C. de Naufrag.* quasi vel iste loquendi modus alias barbarus esset, aut à barbarie per istum tex-tum libertari posset, vel ex textu ulla explicatio realis de-sumi posset, quidnam compendii afferat ista compositio le-vato velo facta. Porro nec id, quod de adhibendis solum iis, quæ ad facti veritatem attinent, additur, perspicuum ac distinctam ideam exhibet eorum, quæ in processu consueto & ordinario pro superfluis haberi debeant, adeoque

A 2

in

in posterum omitti possent. Nam Autores ordinationum communiter in processu etiam ordinario consuetarum dicent, exceptis forte (& forte etiam non) solis juribus de exceptionibus dilatoris disponentibus, reliqua omnia de libello, litis contestatione, exceptionibus, probationibus, disputationibus, sententiis, & remediis sententiam suspensivis, executionibus sententiarum eo solum pertinere, ut iudex de veritate facti sive ab auctore sive a reo allegati certior reddatur. Unde opus fuisset, ut istius clausula *sola facta*

c) d.l.s.7. *Eti maxime potens esse dicitur c) genuinus sensus perspicua aliquam definitione fuisset propositus.* Hoc vero neglecto, vereor, ne homo naturali prudenter pollens, sive juris sit peritus sive imperitus sit ægre latus, quod loco ejusmodi definitionis saltem allegatum fuerit, hanc clausulam commendari a Jctis Hispanis, Lusitanis, Italis, imo etiam a Germanis, & effectus plane singulares ei tribui. Neque multum solatii idem exinde sumet, quod in eadem dissertatione promissum fuerit d) quod velet adducere Jctorum istorum sententias super eo, quid ponderis isti clausula subdit, & quid liceat contra regulas processus Principi aut etiam delegato Principis sub ista clausula constituto, easque ad examen revocare. Uti enim Jctorum istorum sententia nihil lucis accedit rei in se obscuræ, & præterea Jcti ipsi sape solent dissentire, ita examen vel consensus vel dissensus eorumdem, si ipsum examen non habeat principia clara & distincta, fortè magis confundet quam eruditorem reddet lectorum.

### §. III.

*In specie de Suecis & Danis seorsim videndum.* Verum est: Suecis & Da.  
vta. Apud Suecos Danosque prompta est juris persecutio, ignoratis penitus processus nostri ambagibus. Imò & id largior ultrò. Autores legum & ordinis judicarii in Dania & Suecia fuisse homines juris utriusque, cuius Doctores creamus, planè imperitos, & prudentia tantum naturali (id est nequaquam per scholas, sed per experientiam saltem excultâ)

cultâ) pollentes, sed propterea iterum non sequitur, ut, si quis apud nos prudentia solum naturali pollens similia tentet, id pari felicitate sit successurum. Nunquam labo-

runt Dani Suecique juris incertitudine & inde etiam ex parte derivata processuum prolixitate. Ita enim de utrisque ex doctrina Conringii Oldenburgerus. e) Thesaur

(Suecia) antequam coronantur, jurare tenentur, nolle ullas leges novas prater consensum ordinum introducere &c. Inter ordines

2. p. 216. & 218. item p.

tres sunt praesipui, qui maximâ in regno pollent autoritate: Ordo 270.

Clericorum, Nobilium, & Rusticorum &c. Leges, quibus Sueci utuntur, valde sunt antiquæ, & inde à tempore S. Erici Regis Sueciae usque in hoc durarunt tempus, exceptis legibus ecclesiasticis &c. Dani utuntur legibus patriis antiquis, processum juridicum habent non intricatum, sed facilem, & natura magis congruum,

quam est noster. &c. Similia refert de utroque populo Jo-

achimus Hagemeierus. f) Danis forma regiminis commoda &

pro gentis moribus apta satis est, universis provinciis in certas prefectorias distinctis, quibus presumi judices legum Danicarum peri-

ti. Neque enim ex Jure Justinianeo vel Canonibus Pontificis de-

ciduntur subditorum controversiae, sed ex solo corpore legum Danicarum,

quod iussu Waldemari II. compilatum perhibetur. Hoc

jus Cimbricum sub Rege Christiano IV. correctum & publicatum est,

ideoque pro jCtis & Advocatis steriles & nulla propemodum

in hoc Regno mespis est, cum omnia ex patriis statutis dependeant.

Et de Suecis ita differit. Jus Civile Romanum in Suecia re-

cepimus non est. Quotidianae lites deciduntur per jus nationale,

quod ex legibus Upplandicis & Västgothicis alisque ante annos

quasi trecentos collectum est. Adde de Suecis Loccenium,

de Danis Autorem Anonymum defensionis status Danici.

h) Alia est ratio aliorum populorum Europæ, qui vel re-

jectis moribus & legibus antiquis, vel mixtura juris pere-

grini cum hoc confusis jam per aliquot secula tediositate

processus laborarunt. Alia est dicta sanorum, longe alia

egrotantium, qui perirent, si tempore morbi regula vi-

vendi, qua morbo carentes utuntur, iis praescriberetur.

A 3

g) Histor. Suecic. lib. 8.

h) Bertheid. des Staats von Dennew.

2. 3. 4.

F. 1. 6. und

Et R. 3. a.

Et ipse etiam, qui ista consultit Autor celeberrimus, videatur hæc omnia sensisse. Quid enim alias opus fuisset, ut ex Jure Canonico, quod tamen ipse pro fonte ambagum

i) D. Disput. in processu agnoscit i) aut ex Canonistis k) magna cum  
§. I.  
k) ibid. §. 7. seq. la facti veritate inspecta? & tamen re peractâ parum promoveret tanquam in re aliquâ dubiâ & obscurâ. Cur non statim corpus juris Suecici & Danici commendatum fuit, aut cur non ad minimum ex eo, vel ex processibus in Suecia & Dania usitatis, tanquam ex fonte magis certo & reali, & non in sola JCtorum phantasia consistente, vis & efficacia illius formulæ fuit explicata & demonstrata.

## §. IV.

*Requisitum* I. *judicium na-* Cave tamen, ne putes, dum dixi ad emendandam ad-

*ministrationem justitiae* non sufficere naturalem prudentiam, conjunctam cum experientia negotiorum publicorum, quod prudentiam & experientiam plane rejiciam, sed omnino, prudentiam vel potius judicium naturale & experientiam in Consiliario ante omnia requiro. Res tamen ipsa paulo distinctius est explicanda. Homines omnes naturâ ad stultitiam inclinant, unde nec datur sapientia nec prudentia naturalis, sed omnis est acquisita. Acquiritur

I) vid. Prudent. Consult. c. I. §. 23. seq. Con- prud. p. 107. ring. de Civil. & III. vero partim per experientiam partim per manuductionem, doctrinam, & exempla aliorum sed sapientum. 1) Nam stultorum manuductio, qui pro sapientibus habentur, non potest non nisi etiam ad stultitiam sub larva sapientiae occultatam manuducere. Cum vero haec tenus communis

persuasio fuerit, doctrinam sapientiae & prudentiae proponi in Academiis, cœpit etiam prudentia naturalis appellari omnis illa quæ ab iis, qui literis nullam dederunt operam sola ducente naturali & quotidiana v. g. parentum, dominorum, amicorum manuductione & experientia absque doctrina methodica aut in formam artis redacta, acquisita est. Quoniam tamen hæc significatio valde ambigua aut obscurior est, malui loco ejus adhibere judicium naturale,

quod

*ad curandam tardiositatem processuum adhibendi.*

quod scilicet à nativitate se exerit, & partim per experientiam, partim per doctrinam sapientum excolitur. Nimirum sunt quidam homines natura plane stupidi & per totam vitaminemendabiles, ob defectum videlicet aut imperfectionem partium internarum cerebri; quidam tardioris ingenii & judicii, sed quod tamen accidente cultura se exerit & quotidie augetur; quidam denique statim a prima nativitate signa prompti & expediti judicii ostendunt, quod postea per doctrinam & experientiam perficitur. Natura stupidos nemo de republica emendanda consulet. Tardiora ingenia quod attinet, solent illa sèpè, si excolan-  
tur, commilitones suos, promptis quidem, sed nimis vagabundis & volatilibus ingenii præditos, longè superare; Sed tamen ipsa naturalis tarditas eorum indicio est, quod valde adhærere soleant præjudicio autoritatis, adeoque ad corrigendam tardiositatem processuum, quæ, si non tota, tamen quoad maximam partem (& hodienum etiam) orta est ex præjudicio autoritatis, parum sunt apti, imo, ut hactenus recensita consilia docent, dum student, ut emenda-  
tio processuum salvis consiliis Antecessorum vel antiquitatis fiat, magis nocent, quam ut profint. Restant igitur ingenia viva & prompta, quæ si simul constantia naturali & prudentia sint prædicta, facilius reliquis penetrant in causas arcanas malorum, sine profunda & hæfstante inquisitione prævident consequentias consiliorum, & ita non solum ad medicinam corporis, sed & ad consilia danda de emendatione animi, domus, reipublicæ, tam in negotiis sacriss quam profanis, tam privatis, quam publicis, tam civilibus quam criminalibus, tam pacificis quam militari-  
bus, sunt apertissima.

## §. V.

Eadem meditatio de intellectu simul viam monstrat, 2. <sup>Tempo-</sup>  
ut intelligamus, quali temperamento intuitu voluntatis à ramenti le-  
natura debeat esse prædictus, qui ad salubria consilia dan-  
tioris sed ne-  
da cum successu adhiberi debet, Tardiora ingenia jam mini-  
osten-  
tis,

ostendimus, quare commendare nequeamus : Tarditas avaritiae & melancolie indicium est, etiamsi cholera & ambitione sit temperata. His præcipue originem & augmentationem debet malum, de cuius cura sum sollicitus, ut adeo ab iis non sit facile speranda emendatio, et si forte, emendatione semel introducta, non sint inepti ad ejus conservationem. Ingenia promta, sed volatilia, indicant temperamentum laxum quidem & in se à melancolia alienum, sed si idem ab honoris cupiditate non sit moderatum, & præ-  
primis, si cum avaritia sit commixtum, nimis inconstans, adeoque tam ad prudentia consilia danda, quam ad praxim eorum (nisi metu ab aliis efficaciter incusso,) aliquatenus figurantur ad inclinationem boni,) ineptissimum. Hi vide-  
licet sunt, qui cum ob opositos latitiae & melancolia motus sint inconstantissimi, modo prodigi sunt, dantes omnia quibus nihil dare debebant, modo tenacissimi, ubi ad dan-  
dum eos honestas, misericordia, & justitia impellere de-  
bebant. Accedit summus gradus imprudentiae ex ista mix-  
tura ortus, qua eos impellit, ut injustitiam suam non oc-  
cultent, nec infamiam inde in eos redundantem timeant,  
sed, modo pecuniam corradiant aut retineant, vel paren-  
tes, liberos, aut patriam prodere non erubescant. Habet  
simil, ut ad scopum præsentem dicta applicem, charakte-  
rem Legulejorum & Rabularum quasi natorum, qui, five  
judices five Advocati sint, non subtilibus sed impudentissi-  
mis mediis administrationem justitiae impediunt. Hi, uti  
nullam seriam intentionem habere possunt, malum, quod  
ut idolum colunt, è republica ejiciendi, ita consilia ab iis  
profecta non possunt non esse fallacia & fraudulenta, imo  
& simul pene insipida & inepta, ob adjunctos defectus na-  
turalis judicii. Huc pertinent quorundam consilia, ni-  
mia copia laborantia, ex plurimis autoribus absque judi-  
cio collecta, item consilia autorum exscriptorum nomina  
tacentia, & non majori cum judicio aliorum senten-  
tias siccè non intellectas refutantia, propriam vero con-  
glome-

glomeratis rationibus impertinentibus & s̄pē sibi contradicentibus, defendantia, quorum exempla ex præcedente Dissertatione indaganda propriæ cujusque industria relinquo. Restant itaque ingenia lata quidem & non timide pudentia, sed tamen simul nemini nocentia, & impudenteritæ vitium fugientia, quorum videlicet temperamentum ad hilaritatem inclinans honesta & decente laudum cupiditate temperatum est. Hi uti debita sponte solvunt, tantum abest ut creditoribus occasionem ad litigandum dent, aut ut conventi causam fugiendi definitivam querant, adeoque seriam intentionem habeant corruptam administrationem justitiae emendandi, ita etiam judicium eorum et si non omnibus numeris absolutum, aptius tamen præ reliquis est, ut in causas mali promptius penetret, & noxia aut inania remedia à genuinis & aptis fecernat.

## §. VI.

Cum vero, ut modo dictum, ingenium natura bonum, experientia & doctrina accidente perfectius redditur in prudentia, de experientia prius dicenda quædam sunt, cum & ea, sive homo eam ex propriis, sive ex aliorum actionibus acquisiverit, non tam arti & doctrinæ quam naturæ & ætati maxime debeatur, aut etiam occasionibus non ab arbitrio nostro dependentibus. Notus vermiculus vulgaris Hesiodi, quo operationes juvenibus, viris consilia, senibus preces ribuuntur; sed novi etiam, Poetas homines esse errori pariter, ut alii sunt, obnoxios. Verum est, juvenes ob defectum aut insufficientiam doctrinæ & experientiæ non aptos esse ad consilia, sed actiones eorum per imperia & consilia virorum & senum esse dirigendas. Cur vero viris solum consilia tribuat Poeta, & senes à consiliis quasi excludat, causam non video. Potius dicerem, juvenes ad consilia ineptos esse, ad actiones aptissimos; senes aptissimos ad consilia, ineptos ad agendum; Viros denique tam ad actiones juvenum per consilianon imprudentia regendas, quam ad actiones proprias

*3. Provecte  
etatis & ex-  
perientie.*

ad consilia senum instituendas aptos. Pollent enim viri aliqua experientia & ingenii activitate ac fiducia in vires corporis, sed tamen & doctrina & experientia à senibus vincuntur. Contra in senibus deficiunt vires corporis ut parum apti sint ad agendum, sed experientia diuturnior eos reddit circumspectiores. At prudens circumspectio est anima consili. Scio, senes esse saxe meticulosos, aut certe timidiiores viris. Saxe tamen in consilibus audendum est aliquid, adeoque forte ob hanc causam Poeta consilia solis viris tribuit. Sed insuper etiam tenendum est, quod magna sit differentia inter consilia pacis & belli. In bello utique saxe audendum est aliquid, adeoque concederem, senes ad consilia bellica non adeo aptos esse, ac viros. At consilia ad statum pacis pertinentia regulariter audacia & festinatione non habent opus, sed magis desiderant circumspectionem timiditati propiorem. Pax vero est status reipublicæ ordinarius, ac omne bellum pacis gratia suscipi & in bello de pace cogitari debet. Et cum inter arma leges fileant, & iustitiae promta administratio respiciat & præsupponat statum pacis, non belli, hinc sua sponte sequitur, ad consilia de abbreviandis litibus non aptos esse juvenes, & senes, modo nondum puerascant, vires longe esse aptiores.

## §. VII.

*q. Ut cal-  
leat doctri-  
nam inveni-  
ende verita-  
tis & inter-  
pretandi.*

De Doctrina plura erant monenda, cum haec tenus doctrinæ vel ad prudentia consilia danda plane inepta, vel certe ad parandam prudentiam consultatoriam insufficienes in scholis cujuscunque conditionis communiter doctriæ fuerint. Quas adeo scire quidem debet Medicus iustitiae ægrotantis, nimirum ut ea, quæ de ineptis & insufficientia earum scripta sunt non aliis credit, sed ipse intelligat. Insuper tamen plura adhuc & vel maxime neglecta in scholis, ad prudentiam autem summè necessaria, vel discere, vel ope subsidiorum quorundam haec tenus à paucis supereditatorum, invenire ipse debet. Noste homines debet, nosse

*ad curvandam tedium statem processuum adhibendi.*

ii

nosse seipsum, nosse alios. Ante omnia probe scire debet accuratam differentiam inter naturam intellectus & voluntatis humanæ, tum quomodo intellectu utendum sit in invenienda veritate. Hic eti⁹ vulgaris logica ad nihil minus quam ad inveniendam veritatem apta sit, cum tamen recepta methodus disputandi m) ad minimum doceat, quomodo in ratiociniis multæ ineptæ divagationes evitandæ sint, & quomodo formari & retineri debeat certus controversiæ status, item quo pacto frequentes quotidiæ fallaciae multæ caveri debeant, quæ omnia sincerum veritatis indagatorem ad facilius inveniendam eam ad minimum præparant; hinc facile judicari potest, quantum damni attulerit administrationi justitiae, quod jam à dimidio seculi studiosi juris (futuri videlicet judices, advocati, consiliarii) relicto plane omni philosophiæ & maximè bonæ disputationi methodi studio, statim in penetralia Jurisprudentiæ ut effractores irrumpere fuerint adsueri. Hinc adeo non mirandum, unde eveniat; ut advocati communiter libellos, admiranda & vix credenda ineptitudine labentes, proponant, in proponendis vero exceptionibus, informandis articulis, in disputationibus super probatione &c. majori confusione tota acta repleant; utque judices in negotio etiam claro & plano ob ignorantiam ritè formandi status controversiæ, multoties etiam invitis & contra protestantibus partibus, gravibus, ut scribunt, ex causis, ad collegia juridica scepsum transmittant; denique ut consiliarii in consiliis de emendanda justitiæ hodienum non raro multa insipida & non practicabilia immisceant. Est præterea & alia methodus veritatem inveniendi & fallitatem detegendi per quæstiones n) (conservata à Xenophon o) inepitè & planè contra modum à præceptore Socrate usitatum, proposita à Platone p) commendata in super & aliquo modo delineata à Clerico q) ) maxime necessaria iudicibus in causis criminalibus, sed tamen patiter ab omnibus penè neglecta, quæ etiam si directò non

m) Descri-  
pta optimè à  
B. Jac. Tho-  
mas post  
questiones lo-  
gicas.

n) De qua se-  
tum in cau-  
cise præogn.  
Jurispr. t. I. o.  
S. 60, seq.

o) in memo-  
rabilibus So-  
cratis.

p) in singulis  
eius operibus.

q) Part. 4.

B 2

inser. Cap. 9.

01921

inseriat ad prudentiam consultatoriam, tamen cum judicium valde exerceat, & præsupponat animum ab affectuum violentiore motu liberum, vix etiam ea carere poterit Medicus justitiae. Caveat tamen valde à nimio studio demonstrandi sive spurio & parum utili Aristotelico-Cartesiano, sive etiam genuino i. e. mathematico (etsi alias in vita humana utilissimo) quatenus nimurum Medicus justitiae communem reipublica utilitatem semper præ oculis habere debet. Consilia enim dantur de rebus futuris, quorum eventus saltem verosimilis est & à certitudine veritatum mathematicarum plane diversus, unde & nequam mirandum, quod consilia Mathematicorum etiam celeberrimorum de emendanda jurisprudentia & promovenda juris certitudine à scopo aberraverint, & in praxis cum fructu deduci non potuerint. Magis tamen adhuc cavebit à vulgari studio & doctrina locorum Topicorum, etiam legalium, utpote quæ propter infinitas ampliations & limitationes regularum maximè ineptos reddit homines ad sana consilia cujuscunque generis danda. Non vero negliget neglectam vulgo, ad cognitionem autem veritatis valde necessariam, & sine qua tota jurisprudentia mortua est, doctrinam interpretandi, & simul cavebit à libris vulgaribus, ac multis impertinentibus regulis doctrinam de interpretatione obscuriore reddentibus, sed contentus erit paucioribus & perspicuis in parte secunda Logices traditis,

### §. VIII.

*Item Phisophiam  
genuinam  
moralem.*

Porro cum veritatis inventio vel facilis sit, vel certe non valde difficilis homini vitiosis affectibus non succumbenti, & præjudicia intellectus proveniant ex præjudiciis voluntatis, hinc non poterit Medicus Justitiae carere vivâ cognitione boni & notitiâ distinctâ sui ipsius, & doctrinâ emendandi motus affectuum vitiosorum, quæ à verâ philosophiâ morum proponi solet, non à vulgari illa Aristotelico-Cartesianâ, quæ quidem de virtutibus & earum numero

mero multa, (& hæc etiam non ubique sana) differit, sed tamen de rebus maxime necessariis tacet, scilicet quomodo virtutes sint comparanda, quomodo summa affectuum vitiisorum genera sint cognoscenda, quomodo denique motus horum affectuum turbulenti sint mitigandi & in ordinem redigendi. De quibus omnibus cum alibi r) latius dictum fuerit, non opus erit, ut hic sim prolixior.

## §. IX.

Neque tamen ista sufficiunt ad prudentiam consultariam, et si hæc illa omnia ut summè necessaria præsupponat. Sed & opus est ut doctrinam prudentiæ probè calleat. Quomodo enim consilia utilia dabit imprudens? prudentie Quomodo prudentiam acquiret, sine perspicuis & evidētibus præceptis? Quomodo jurisprudentiam, singularem ria, prudentiæ speciem, cognoscat, sine principiis prudentiæ communibus & specialibus? sine accurata notitia, quomodo prudentia judicialis à consultatoria, & ab utraque prudentia legislatoria seu civilis differat? Hæc omnia trādere debebat Politica, debebat hæc doctrina esse tantum non primaria & præcipua in Academiis. Quid enim prodest Principi & reipublicæ, quod tantis sumptibus & impensis tot Doctores in singulis universitatibus alantur, si eruditos quidem in reliquis artibus & scientiis reddant juvenes, minimè vero prudentes? Præprimis cum stultitia magis pertinax esse soleat, & majora damna dare Reipublicæ, quo magis est cum eruditione tali conjuncta. Sed debebant ista fieri. Jam vero diu satis in Academiis doctum fuit, prudentiam, & præcipue consultoriam, cum de futuris contingentibus sit sollicita, non posse certis principiis includi, prudentiam Laicorum esse valde corruptam, ejus regulas solum ex sacra scriptura, sed secundum interpretationem solius Cleri Pontificii, esse petendam, ad talia vero principia concoquenda opus esse studiosis duabus maxime virtutibus, credulitate & cœca obedientia

B 3

prædi-

r) Partim in  
philos. moralis  
partim in libr.  
I. de fund. Jur.  
N. & G.

Porro 6.

præditis &c. Et quamvis in Academiis Principum Protestantium istæ crassiores doctrinæ non amplius doceantur, haec tamen defectus doctrinæ ratione prudentia non sicut emendatus, donec tandem torporem Philosophorum Medicus celeberrimus, cui multum prudentia & jurisprudentia debet, Hermannus Conringius, excitare & glaciem frangere inciperet s) postea vero adhuc tacentibus

s) Tractatu de civili prudencia, & rem tam utilem & necessariam ex multiplici ratione perficere cunctantibus Philosophis, prima prudentia in genere, & consultatoria ac judicialis in specie fundamen-

t) Dn. Præses de prudentia & consultat. & in specim. Ju- eispr. Judic. c. z. medit. 4. ta non sine jure ponere cœperint J.Cti. t) Cumque multa & varia variorum scripta postea idem thema vcl emendare vel perficere tentaverint, & adhuc non pauci similia scripta edere continent, multiplicem occasionem habebit futurus Medicus justitiae, doctrinas sanas à morbi- dis, prudentes à minus prudentibus, modestas ab arrogantiis & inflatis, denique genuinas à spuriis secernendi, in autoribus tamen ejusmodi scriptorum, ad minimum bonam intentionem & quod defectum doctrinæ maxime necessaria opera sua supplere voluerint, qui bonique con- fulendi,

## §. X.

*Et Civilis seu Politica.* Cum autem prudentia regendi civitatem, (sive hanc prudentiam legislatoriam, sive civilem, dicere, sive Politicæ nomine insignira velis) sit species prudentia consulariorum adeoque prater communia cum reliquis consulariorum prudentiarum speciebus, etiam peculiaria præcepta desideret, proposita quidem haec tamen in Academiis fuit doctrina Politica, sed à Doctoribus Pontificiis à capite ad calcem arcanis Politicæ Clericalis repleta, cuius propositio primaria eo tendit, ut Clero & Pontifici bene sit, utque secundum hanc normam solam Laici conceptus boni & mali regiminis sibi forment. Doctores Academiarum Protestantium, vel pias istas fraudes (videlicet occultatas ubique sub voce Gloriae Dei) non sentientes, eas incaute continua-

tinuarunt; vel etiam de emendatione aliqua solliciti nil nisi terminos politicos Reipubl. Majestatis & specierum reip. ac jurium majestatis &c. per definitiones ac divisiones exponere, & rem in se perspicuum obscuriorem reddere, ac de quæstionibus inanibus, & quæ nullius vel exigui usus sunt, (v. g. de optima forma Reip. de Republ. mixta, de jurium Majestatis divisibilitate, de causa immediata Majestatis & similibus) rixari, & dissentientes ut hereticos vel criminis læse Majestatis Reos diffamare coepi-  
runt, aut confessi sunt ingenuè, sibi deficere materiam dis-  
serendi de medio felicitatem introducendi in Rempubli-  
cam, quia videlicet deficiant libri Aristotelis de Legibus  
& Consilio; aut de Republica perfecta ideas plane ridiculas & plus quam Platonicas sibi formarunt, quærentes  
eam vel in statu integritatis, vel apud Græcos sive in fa-  
bulosa Xenophontis Cyropœdia, sive in Sparta Lycurgi,  
sive in Solonis Republica Atheniensi, vel apud Romanos,  
(uti Pontifici suam Rempublicam Ecclesiasticam præ reli-  
quis omnibus commendant) u) & universali penè consen-  
su negligentes rempublicam Mosaicam, etsi à Deo institu-  
tam & quad regimèn civile prudentissimis legibus ac mo-  
ribus instruētam. Adde quod, qui etiam emendare vulga-  
rem doctrinam cœpit, Johannes Fridericus Hornius, fal-

u) Petrus  
Magnus de  
confilio p. m.  
652. seqq. De  
legibus con-  
sultantem, &  
juris scientia &  
civili faculta-  
tem te prædium  
esse oportet.

Precipue vero callere debet eam Reip. formam, in qua versatur ut quæ leges ei conveniant, intelligat. Sed profecto hujus nostræ (Romane & Christianæ) institutis ac legibus haud facile in terris perfectius reperiiri, nec fortasse animo fingi, mea sententia quicquam potest. Ut in aliis humanam originem, hujus Deum auctorem possit agnoscere. Primum enim ejus amplitudinem arque Imperii latitudinem inuiri licet, omnes Christianæ orbis partes undique ampliæntem: Deinde Regnum ac Principatum, populorumque omnium consensum sponte parentum, & ut par est, Dei vicarium adorantium, ejus absolutissimam rerum omnium, atque etiam abluendarum animi lordum; Tum & ad summum, & ad alios gradus unicum ex opinione virtutis aditum. Ut illud omniam, quod exemplis innumerabilibus compertum est, ad Pontificatum homines divinitus potius, quam homi- nium suffragiis pervenire. Adhac videmus ditionem hanc nullis insidiis obnoxiam, ab omni proflus periculo remotam; modo nostram ipse autoritatem Princeps (non) minuat, quod sit, ubi alicui parti adhaeret, atque à communis omnium parentis officio discedit &c.

tem de parte Politices architectonica (id est de instituenda republica sana) sollicitus fuerit, doctrinam de emendatione reipublicæ, id est, de potissima medicinæ politice parte omittens, is autem, qui nostro tempore & hunc defectum supplere intendit JCTus alias celeberrimus, multa quidem collegit haud injucunda, sed quæ vix satis faciant homini ingenuo, magis rationes perspicuas, quam autoritates Aristotelis expectanti, & certo sibi persuadenti, quod nihil sit magis à veritate alienum, quam istud remedium Politicum Aristotelis & hodienum prope universale, morbos curandos esse per præcepta contrarium sub metu pœnæ jubentia. w) At vero si ejusmodi falsis aut ubique mancis & deficientibus doctrinis imbutus sit animus ejus, à quo princeps serium consilium emendandæ tædiositatis processuum postulat; quo pacto possibile est, ut etiam omni conatu ac omnibus viribus adhibitis salutare quid & fructuosum consilium suppeditare posir. Et adeo si defectus hos omnes non ipse emendaverit, de quo agimus, Medicus Justitiae, quem ipsi hac parte præ reliquis commendem ignoro, sed potius doctrinam veræ Politice inter desiderata Academica refero.

## §. XI.

Historia vero cum non solum sit alter sapientiarum occlusus, sed etiam monstrando & ostendendo errorum origines, simul manuducat ad emendationem falsarum doctrinarum, nullum est dubium, quin ejus studium Medico nostro multum profuturum sit ad defectum doctrinæ Politice modo memoratum supplendum. Neque solum Historia Philosophica, sed quam maxime civilis, hac parte ipsi erit necessaria. Dum Civilem dico, simul sub-intelligo Ecclesiasticam, quæ haec tenus ex arcanis Politicis Papatus civili fuit contradistincta, aut certè ab ea separata, cum tamen Ecclesia sit in Republica, adeoque regimen Ecclesie in plerisque cum regime civili connexum sit. Quia vero vel personæ Ecclesiasticae se negotiis secularibus immissione,

7. Historiam  
civilem &  
Ecclesiastici-  
cam.

misen, vel Clericorum controversiæ factiones inter ipsos, hæ factiones porro factiones inter Laicos in Aula (id est inter Ministros Principis tam in sago quam in toga) imo in urbe, in pagis, inter cives subditos, & utробique inter sexus fœminei personas & harum subfactiones producunt, inde confusio magis aut certe ignorantia, quam distincta circumstantiarum perceptio oritur, si historia civilis à circumstantiis religionis, & historia ecclesiastica, ab immixto interesse aulico, fœmineo, populari, nimis abstrahat. Cum autem post Vorburgianum opus ex parte Pontificiorum, à Protestantibus Doctoribus hactenus studium historicum, ringentibus licet pedanticarum doctrinæ ubique Patronis, fuerit strenuè excultum, & in nostra etiam Academia (quid enim in aliis fiat, de eo non ita mihi constat,) maximè floreat, sperare licet, viros Aulicos ejus continuationem, ob evidentissimam totius reipublicæ utilitatem esse commendaturos & promoturos. Neque adeo deficiet copia Autorum cum fructu quoad utramque historiam legendorum. Etsi vero utraque historia Medico nostro parum profutura sit ad collectionem remediorum ægrotanti Reip. stappeditandorum, multum tamen conducet ad indicandas causas morborum ultimas & primarias, tam ex parte Cleri, quam ex parte Laicorum, videlicet introductionem fœstæ ac superstitionæ pietatis, indulgentiam verorum criminum infinitorum, propositis penitus vitiosos non deterrentibus, sed magis irritantibus, imo horum introductionem per exempla frequentia imperantium & docentium, fictionem criminum in actionibus vel plane indifferenteribus, vel quæ certè non sunt idoneum objectum paciarum civilium: persuasionem Laicorum, ut usum rectæ rationis, sub prætextu, quasi vera fides consistat in credulitate cœca, abjicerent, & ita palpabilissimas illas fraudes non sentirent, sed equis & mulis fierent similes, atque pro talibus se haberi a Clero in scriptis publicis, plusquam affina patientia tolerarent &c.

## C

## §. XII.

## §. XII.

*Principue bi-* Ut i vero praeipuum medium ad ejusmodi corruptio-  
*storiam Scho-* nes Rerumpublicarum Christianarum introducendas & sta-  
*larum & A-* biliendas fuere Scholæ & Academias, ita valde dolendum,  
*cademiarum.* quod Historia Scholarum & Academiarum haetenus non-  
dum ex merito fuerit exulta. Etsi enim in Johannis  
Heinrici Alstedii Thesauro Chronologico, Jacobi Midden-  
dorpii, Thomæ Lanpii, Johannis Limnæi, Christophori  
Besoldi, Hermanni Conringii tractatibus de Academis,  
Johannis Christiani Itteri libro de gradibus & honoribus  
Academicis, ejusdem Limnæi Notitia Regni Francie, Ste-  
phani Paschafii Investigationibus Francis, Johannis Lau-  
noji tractatu de varia fortuna Aristotelis in Academia Pa-  
risiensi, Adami Tribbechovii tractatu de Doctoribus  
Scholasticis, Cæsaris Egassi Bulzi Historia Universitatis Pa-  
risiensis, Abbatis Fleurii discursu de seleetu studiorum  
&c. non pauca contineantur, quæ ad hunc scopum faci-  
unt, sunt tamen illa partim valde dispersa, & confusa, in-  
primis apud eos, qui de juribus Academiarum fuerunt sol-  
liciti, partim insufficientia, dubia, vel nimis generalia,  
vel etiam ad certa saltem capita hujus historiae pertinentia.  
Etsi igitur nostro tempore studium historicum in Anglia,  
Gallia, Belgio, & Germania haetenus à Viris Celebrissi-  
mis magna cum cura fuerit exultum, nescio tamen, qui  
factum fuerit, ut postquam jam ante quadraginta annos  
glaciem fregisset Conringius de Antiquitatibus Academi-  
cis, nemo tamen quod Iciam, haetenus inventus fuerit,  
qui vel Annales Academiarum colligeret, vel de earum  
scopo, ortu, progressu, item de ortu ac progressu quatuor  
facultatum in Academis, & singularum in singulis profes-  
sionum, deque controversiis ac litigiis vel ex Academis or-  
tis, vel per eas compositis, & similibus pleniore historiam  
scriberet. At hæc historia præ reliquis maximam utilita-  
tem præberet nostro de quo agimus, medico, cum nul-  
lum sit dubium, quin & incertitudo juris, & tædiositas pro-  
cessuum,

*ad curandam tediousatem processuum adhibendi.*

19

cessum, cum Academis ubique orta, & per eas propaga-  
ta atque aucta sit, de quo tamen suo loco fusiū erit a-  
gendū.

**S. XIII.**

Cum autem nullum sit dubium, talem processum ju-  
diciarium, quali utimur, nec olim fuisse apud ullam gen-  
tem usurpatum, nec hodie apud alias gentes, & ne qui-  
dem apud omnes Christianas & Europas esse in usu, vix  
crederem, Medicum Justitiae aptum ad emendandam ejus  
administrationem consilium salutare dare posse, sine diffi-  
ciliore aliqua historia de ortu, progressu ac mutatione ju-  
dicatorum tam civilium, quam criminalium. Neque e-  
nim video, quomodo sine ejusmodi historia JCtus posit  
perspicuam ideam concipere judiciorum sanorum, & ge-  
nuinos conceptus causarum verarum corruptionis sibi for-  
mare. Sed & haec historia pertinet ad desiderata in studio  
prudentiae. Meo iudicio, si labor iste foret suscipiens,  
primo agendum foret de ordine judiciario apud Judaos,  
deque ordinis judicarii ex instituto divino in Rep. Mo-  
saica simplicitate ac justitia, tum de judiciis Gracorum,  
Romanorum, Germanorum, de singulis seorsim secundum  
variationes temporum, denique de judiciis variis Populo-  
rum Asia, Africæ, Europæ, Americæ, de quorum mori-  
bus pauciora ab autoribus sunt tradita. Sed & haec histo-  
ria desiderat hominem & iudicio pollentem & difficultati-  
bus non facile cedentem: inveniet enim in singulis, vel  
libris vel capitibus multa, quæ magnam curam & indu-  
striam requirent. Ipsum processum Romanorum quod at-  
tinget, et si de temporibus Reipublicæ liberae multa possint  
peti non inutilia ex Cicerone, & aliis scriptoribus Roma-  
nisi, circa mutationes tamen sub Imperatoribus factas mul-  
ta difficultates occurrent, & imo tanta fuit incuria Triboniani & reliquorum Consiliariorum Justiniani, ut quæ in  
Institutionibus, Pandectis Codice & Novellis, de processu  
agunt leges & constitutiones, vix trigesimam partem ejus-

*Historiam  
Judiciorum  
scu processus  
Judicarii,*

C 2

dem

dem delineent, & similis videatur hæc delineatio picturæ, in qua pictor promiserat, se veram alicujus hominis effigiem exhibitum, in qua tamen præter supercilium, particulam nasi, mentum, & reliquias quasdam capillorum nihil cognosci posit. Evidem Francisci Polleti Historia fori Romani, & Georgii Obrechti Exercitium Juris antiqui de rei vindicatione, nonnulla suppeditabunt ad hanc historiam pertinentia, sed deprehendet tamen curiosus antiquitatum indagator utrobique non solum multas lacunas, sed etiam non pauca esse emendanda. Germanos quod attinet, adhuc magis ignota est historia judiciorum Germanicorum, imo non ignota solum, sed & variis falsis hypothesibus impedita. Pudere debebat JCTos, quod iterum post glaciem à Conringio fractam in dissertatione de judiciis reipublicæ Germanicæ jam anno 1647. habita, prope intra septuaginta annos torporem non excusserint, & loco studiorum Reipublicæ noxiorum aut certe inutilium, tam proficuum & utilem laborem non continuaverint, & quæ in ista dissertatione Conringii deficiunt, sup-

x) ut ipse dicitur §. 2.

y) s. 17.

plerent. Tractat enim solum x) de causis in judiciis Germanorum tractatis, & de judicibus ipsis, de ipso ordinis procedendi, nihil dicit, nisi quod de ejus brevitate pauca quædam observaverit. y) Quod autem multi vani falsique conceptus de judiciis Germanicis, in primis paululum antiquioribus, & ordine procedendi, haec tenus pro veris fuerint à JCTis propositi, & postea pertinaciter defensi, aliquot disputationibus (de jurisdictionis & magistratum differentia secundum mores Germanorum, de origine processus inquisitorii, de origine processus inquisitorii contra sagas, de origine, natura, progressu & interitu judiciorum Westphalicorum occultorum, de occasione, conceptione & intentione Constitutionis Criminalis Carolinæ) ostendit Dn. Præses.

§. XIV.

## §. XIV.

Porro cum hodie certum sit, & Scabinos in Scabinatis Historiam  
 bus & Professores in Facultatibus Iuridicis fere ubique es- odii inter  
 se Doctores juris promotoe, absque sua culpa, communis Professores  
 ignorantia juris antiqui & processus Germanici laborantes, Juris, & Sca-  
 certum etiam est dissentire quidem hodie in non paucis, binos in Ger-  
 Scabinatus & Facultates Juridicas, sed hic tamen dissensus mania, & in  
 non major est, quam inter Scabinatus & Scabinatus, Fa- specie in Sa-  
 cultates & Facultates. Olim vero non erat sic, sed uti xonia.

Professores & Doctores juris, jura patria tanquam vulgaria,  
 simplicia & omnibus de plebe cognita contemnebant, &  
 loco eorum jura Romana, tam Juttinianeum, quam Cano-  
 nicum, introducere intendebant, ita his fortiter resiste-  
 bant Scabini & Senatores potissimum in urbibus Imperia-  
 libus, imo etiam in Electoratu Saxonico & aliis locis ubi  
 Academiae erant institutæ. Nec leve utrobique litigium  
 fuit, sed multis consiliis astutis, & violentis hinc inde ex  
 utraque parte pugnatum est. Interim postquam Docto-  
 res, supprimentes tandem Scabinos, & se ipsos in Scabi-  
 natus insinuantes, omni studio operam dederunt, & adhuc  
 hodie dant, ut veræ & distinctæ litis illius circumstantiæ  
 omnibus modis supprimantur, paucissimis hodie saltem  
 generalia quædam de ista controversia nota sunt, & illa  
 etiam valde pauca. Nam quæ de Scabinis Antiquis, Ævi  
 medi & recentioribus extat Dissertatio Friderici Brumme-  
 ri, jam ante quinquaginta annos sub præsidio B. Jacobi  
 Thomasi Lipsiæ 1662. habita, & postea Ludolphi Hugonis  
 libro de Statu Regionum Germanicæ juncta, & quæ tamen  
 de tota Scabinorum materia nil nisi observationes valde  
 jejunas continent, argumento esse potest, in quanta rerum  
 patriarcharum ignorantia tum versati fuerint eruditi. Neque  
 enim culpa jejunitatis illius Brummero est adscribenda,  
 Juveni tum temporis valde industrio & eruditio, ut singu-  
 la opuscula ejus à B. Beiero postea conjunctum edita do-  
 cent, & qui in illa dissertatione omnia, quæ tum de Sca-  
 binis

binis deprehendi poterant, cum iudicio collegit & dispossuit, cum è contrario quæ postea anno 1669. sub presidio Bechmanni habita fuit, de Scabinis & Scabinatibus dissertatio inauguralis Juridica, tanto iudicii defectu ab Autore conscripta fuerit, ut absque pudore vix legi possit etiam à Lectore natura impudente. Ab eo tamen tempore quædam nova subsidia hic suppeditarunt autores varii à Domino Præside in allegaris modo disputationibus de occasione & intentione Constit. Criminalis, & de origine judi-

<sup>z)</sup> In not. ciorum Westphalicorum citati. Idem etiam alibi <sup>z)</sup> ex ad Conradi guum quoddam fragmentum historiæ de motibus Lipsien- Sinceri dissert. Epistol. p. 48. fibus inter Doctores Juris Civilis & Scabinos veteres exhibuit; unde illustrari vel emendari possint ea quæ Itte- not. 26.

a) De Honor. rus a) collegit de exclusione illis temporibus usitata, Do- & Grad. Acad. Etorum juris ex Senatu Civitatum Imperii, & de hujus ex- c. 9. s. 22. s. clusionis ac ejusdem novæ mutationis rationib[us] genuinis. p. 370, seq.

Paululum distinctiores circumstantias suppeditabit ejusd. Appendix ad Melchioris ab Ossa consilium Electori Augu- sto olim datum, in qua primas quasdam lineas jecit anna- lium ad historiam corruptæ justitiæ, in Germania potissimum, respicientium. Sed caremus adhuc justis subsidii ad expositionem illius historiæ pleniorem pertinentibus, cum annales hoc facientes occultentur valde ab iis, qui sua intereste putant, ne vetera Germaniæ jura, & antiqua melior ac promptior justitia administratio reviviscant. Postquam vero laudabilis aliorum, & præ ceteris Viri Clarissimi Lunigii indefessa industria, in lucem produxit infinita scripta hactenus latentia, ad Historiam Germaniæ & singu- lorum Statuum Politicam maxime facientia, quæ ante vi- ginti annos nemo ausus fuisset publicæ luci exponere, ob inanem praetextum paucorum quorundam potentum, ne- scio quod terriculamentum adhibentium, expectamus eti- am meliora & distinctiora circa historiam suppressionis mo- rum Germanicorum, jura & justitia administrationem re- spiciuentium, tam ab ipso quam ab aliis, quibus accessus ad

ad archiva principum & secretiora Universitatum ac Municipiorum patet. Id saltem interim hic observo, quamdiu talia adhuc ulterius occultantur, tamdiu frustra experitari consilia vere prudentia de emendatione justitiae, cum sine eorum notitia is, qui consulitur, non possit neque de causis genuinis morbi, neque de ejus praeципuis circumstantiis quicquam debito modo sibi imaginari, quod tamen, ut mox videbimus, omnino ad talia consilia necessarium est.

## §. XV.

Cum autem non nisi verus JCtus possit mederi justitiae ægrotanti, nullum amplius potest remanere dubium, *menta genitio* quin instructus etiam probe esse debeat principiis juris na Juris Naturalis & Gentium. Fuit quidem haec tenus etiam ea *tute & Gen-*  
de re dubitatura non solum, sed etiam acriter defensum, *tuum.*

*a) Fundat.*  
nocere potius, b) studioſo ſuriſ doctrinam juris natura & dogmata cum in finem à Grotio, Pufendorffio & aliis pro-  
polita, & ſufficere accuratam notitiam juris Justinianei, ut  
pote etiam ex jure natura & Gentium collecti; sed ta-  
men per Dei Gratiam haec tenus malevoli ſtudium hoc non  
ſolum JCtis ſed & Philosophis & Theologis utiliſſimum,  
(prope dixerim neceſſarium) ſupprimere non potuerunt,  
etſi adhucdum muſitare, &, ſi non contradictione aper-  
ta, clanculum tamen & per iſidiā ei nocere nondum  
deſinat. Quod vero ſine jurisprudentia naturali omnia  
consilia de emendatione administrationis justitiae ſint fru-  
ſtranea, facile conſtabit ei, qui ſaltem cogitaverit, quod  
non ſolum ad JCtum pertineat, in legibus receptis, ad  
earum intelligentiam, ſecernere ea, quæ ex principiis ju-  
ris naturæ fluunt, & quæ juri naturali ex ſpeciali & ſa-  
pius variante utilitate hujus vel illius Reip. ſunt ſuperad-  
dita, ſed etiam, ubi de emendatione & mutatione legum  
agitur, operam dare, ut mutentur quidem illa civilia, etſi  
aliquam ſpeciem æquitatis naturalis habentia, intacta ta-  
men maneant ea, quæ juſ naturale & gentium fieri prae-  
pit

pit aut prohibet, maximopere vero in id incumbere, ne sub larva æquitatis cuiusdam cerebrinæ, vel charitatis Christianæ, introducatur in Rempublicam jus toti Reip. noxiū. Quis vero unquam æquitatem cerebrinam ab æquitate genuina secerneat, nisi Doctrinis moralibus & juris naturalis probe instructus? Accedit, quod Medicus noster probè callere debeat, quid in juribus Patriis tam ratione morum quam ratione processus æquum & justum fuerit, quid contra dictaminī rectæ rationis repugnaverit; porro, quid in jure Justinianeo in ordinaciones Germanicas subinde intruso præceptum sit, ob rationēm Romanis peculiarem, & ad mores nostros non sine imprudentia applicandam; denique, quid in jure Canonico, magnam partem etiam in Germania florente, & processu tam civili quam criminali per id introducto, sub specie singularis sed fucatae pietatis & Christianæ Charitatis haec tenus commendatum fuerit Principibus & Aulicis, quod tamen ut Reip. maxime noxiū & regulis jurisprudentiæ naturalis repugnans ante omnia extirpationem mereatur, &c.

## §. XVI.

*9. Jus Justi-* Juris Justinianei gnarum esse debere Medicum Justinianum & tiæ, vel ideo nemo in dubium vocat, quia qui haec tenus *nianeum &* consilia talia dederunt, tantum non omnes singularem Juris Justinianei scientiam professi sunt, & quia alias Medicos nostro Amasii Juris Justinianici objecturi essent vulgatum istud; quod ars non habeat osorem nisi ignorantem.

Accedit, quod communis persuasio de magno usu Juris Justinianei in foris Germaniae sit evidentissime falsa, quam veritatem iterum non nisi Juris Justinianei profunde doctus demonstrare potest. At juris Canonici scientia ideo non poterit esse vacuus, qui de emendanda justitia consultur, quia non solum mixtura Juris Canonici cum Justiniano & moribus Germaniæ produxit juris incertitudinem, sed & quia Jus Canonicum, sive materialia processus sive formalia consideres, tam in terris principum protestantium,

tium, quain apud Romano-Catholicos majorem usum in foro habet, quam Jus Justinianeum, et si haec tenus in Academias Protestantium contrarium communiter juventuti bona quidem fide, sed maxime erroneè fuerit inculcatum, & propterea in plerisque Protestantium Academias studium Juris Canonici data opera fuerit neglectum, & hodiendum in plerisque Academias negligatur.

c) Per ea quæ latius docuit  
Dn. Pralea  
cautel. circa  
præcogn. Ju-  
rispr. Ecc. cap.  
penult. & ult.

Interim cum sapiens stultas quidem & injustas actiones caveat, & si magistratus personam gerat, etiam puniat, sed propter ea tamen nullius hominis hostis & osor sit, & nullam etiam causam justa ratione subnixam habeat, ullum hominem odio persequendi aut ei irascendi, cavere quidem debet Medicus noster, ne communem JCTorum opinionem secutus arbitretur, jus Justinianeum esse prudentissimum & sapientissimum, jus Canonicum vero præterea & sanctissimum & æquisissimum, sed & insuper operam dabit, ne in alterum extremum lapsus, Justinianum, Tribonianum, & quorum auxilio illi in concinendo corpore juris usi sunt, item Patres Ecclesiæ, Papas, Canonistas, tam antiquos quam noviores, denique JCTos hodiernos de præstantia juris utriusque plurima & quidem alta voce canentes, odio prosequatur & inventivis utens eos etiam aliis odiosos reddere conetur. Ut enim Pompejus non prudenter dixit: *Armati leges ut cogitem?* d) ita verissimum est, si dixisset: *Iustus emendationem iustitiae administrationis ut cogitem?* quicquid etiam Laetantius e) quicquid iræ maximè deditus falsæ sapientiæ chorus contra ogganniant, quicquid Deum invocent, ut eos odio dissentientium repleat. Multa sunt egregiæ bona in Jure utroque, quæ que optanda forent, ut apud nos in usu essent; multa tamen insunt etiam impia & imprudentia, quæ à prioribus non separare poterit nisi animus ab amore & odio vacuus. Errarunt Tribonianus & Aseclæ, errarunt Patres, Papæ Legistæ, Canonistæ, at errare humanum est. Insaniverrunt. Est enim insanitia morbi species. Crediderunt, &

d) Grot. Pro-  
leg. ab init. de  
J. B. & P.,  
e) Dn. Pralea  
in Praxi Ethic-  
ces cap. 6, circ.  
fin.

D adhuc

adhuc credunt multi, quod insania hac opus Deo gratum faciant, tantum abest ut non serio sibi persuadeant, eandem esse ad promovendam justitiam & justitiae administrationem aptissimam. Ergo miseria digni sunt & benevolentia ut alii ægrotantes, nequaquam vero convenit sapienti, ut iis irascatur.

## §. XVII.

*10. Jus publicum imperii Germanici.*

Cum maxime interesseret Papatu, ut discentes in Academiis de statu & naturæ Reipublicæ Germanicæ genuinis & veris ideis non imbuerentur, inde in Academiis & studiis universalibus nulla professio juris publici fuit instituta, sed potius ex jure Canonico impia & Majestatem imperii Germanici lædentes doctrinæ, ut articuli fidei juvenuti, & ita etiam futuris Academiarum Professoribus fuere inculcata & commendata, & hodiendum inculcantur in Academiis Pontificiis. Idem error cum aliis reliquiis Papatus in Academiis Protestantium, ob nimiam venerationem juris Canonici fuit continuatus, usque ad tempora Pufendorffii, qui primus sub factâ Monzambani persona inquirere in illas absurdas doctrinas easque emendare cœpit. Cum tamen ob causas facile divinandas in isto scripto non omni ex parte affectu esset vacuus, & quemadmodum regulariter fieri consuevit, ut primi emendatores non omnia videant, non pauca aliis reliquerit melius perficienda, ab illo tempore cooperunt in Academiis quibusdam Protestantibus etiam profesiones publicæ juris publici Germanici. Neque adeò hujus etiam juris notitia distincta carere potest noster, de quo agimus, Medicus Politicus. Et si enim is omnes de origine & causis morbi, item de remedii noxiis, & verè utilibus, circumstantias secundum ea quæ statim ostendemus, probe discusserit, frustranæ tamen erunt omnes ex deliberationes, si forma imperii Germanici ita sit comparata, ut ista remedia alias salutaria & in aliis rebuspublicis cum fructu usurpata imperio nostro applicare nequeat. At de hoc judicare nequit, qui non

probè

probè de nexu capit is cum membris, de eminentiis Majestatis imperatoria, de superioritate territoriali statuum, de eminentiis Electorum ac Principum potentum præ rebus Princibus, Comitibus, urbibus Imperialibus, & liberâ Imperii nobilitate, de irregularitate subjectionis & obedientiæ, quam Status Imperii Imperio & Imperatori debent; de potestate & auctoritate Judicij Cameralis & relatione judiciorum inferiorum ad eadem, de potestate & jure Statuum introducendorum aut retinendorum in territoriis suis, jurium vel consuetudinum & ordinationum processualium, à juribus communibus in Recessibus Imperii approbatis & ab ordinationibus Camerae & judicij Aulici toto cœlo differentium, de potestate & auctoritate Statuum provinciarium eorumque consensi, ad introductionem novi juris in territorio Statuum imperii, vel necessario vel non necessario &c. est instructus. Necessarium autem esse hoc monumentum quilibet facile comprehendet, qui observavit, vel observabit, quod in Academiis Pontificiis hæc omnia vel planè negligantur vel erroneè doceantur, in Academiis autem Protestantium plerisque, juvenum tam illustrium & nobilium, quam ex civico ordine etiam plerique, etiam si ad consilia Reipublicæ aut Principibus danda adspirent, strenue negligant juris publici doctrinam, & adeo non sit mirandum, si postea ad consilia adhibiti, consilia etiam de emendanda justitiæ administratione dent, vel plane impertinentia, vel in se quidem bona, sed ad Statum istius status imperii non applicabilia. Debet etiam præterea probè examinare Medicus noster potentiam Domini sui. Etsi enim jus & potentia valde differant, interim tamen quemadmodum potentia absque jure latrocinium est, ita & jus sine potentia est jus sine efficacia. Porro & Apostolus monet, quod non omnia ad quæ jus habemus, nobis conducent. Ostendent suo loco dicenda, radicem omnis protractionis justitiæ primariam esse Jus Canonicum; Hoc vero serio agnoscunt Jcti religionis Pontificiæ, ergo etiam ho-

rum intuitu hoc tempore nondum speranda est efficax humus mali emendatio in summis imperii Judicis; potius timendum est, ne juris Canonici admiratores omnem operam impensuri sint, ut cum acta coram Statibus Imperii protractiones Juris Canonici emendantibus ventilata, per modum appellationis in summa illa judicia fuerint translata, sententias prioris instantia secundum Jus Canonicum iterum corrigant, nisi Status isti Imperii sint potentiores, aut privilegio de non apellando gaudentes &c.

## §. XVIII.

**Responsio ad** Facile autem praevideo, ex illorum classe qui sibi per objectionem suadent, emendationem processuum & eorum abbreviade impossibilitionem esse rem moraliter, ac politice impossibilem, vel litate emen- ex tot haec tenus enumeratis requisitis multos occasionem dationis, si accepturos esse suam sententiam defendendi; quasi nem- tot & tanta pe impossibile etiam sit moraliter, ut unus idemque homo studia ad me- tot scientiis & doctrinis sit instructus, cum tamen earum dicum justi- singula totum hominem requirant, & toto vita spatio non tie requiran- possint penitus absolviri: Antiquum dieterium esse: *Ars tur. longa vita brevis.* Accedere, quod ipsas doctrinas non pau-

f) Iuprā s. 9. cas, quibus imbutum esse velim Medicum justitiae, inter desiderata Academiarum retulerim, f) si non totas, tamen 10. 11. 12. 13. quoad partes præcipuas, aut scitu maxime necessarias;

34.

videlicet doctrinas prudentiarum consultatoriarum, & civilis, item historiarum Scholarum & Academiarum, processus iudicarii, & litigii inter Doctores Juris & Scabinos in Germania &c. Sed ad ista quidem non deest responsio. Objicientes illa, nobiscum non conveniunt in conceptu sapientiae. Papatus & crassæ ejus apud nos reliquæ, sapientiam in eo putant consistere, si quis multa & plurima sciat, & magnus polyhistor sit, Poetas, Historicos, Rhetores, Philosophos Græcos & Latinos omnes intelligens, quæstiones subtilissimas grammaticas, dialecticas, metaphysicas, mathematicas, physicas, ethicas, politicas in utramque partem resolvens & de iis disputans, aut pro una ea-

rundem

rundem decisione tanquam pro unice vera maximo cum animi affectu pugnans, & vel mori pro eâ paratus &c. Sed nos afferimus, sapientiam confidere in eo, ut quis paucissima sciatur utilia, & plurima nullo usui imo potius damno non sibi solum sed toti Reipublicæ futura ignoret, ac viam planam & simplicem caput omnium hominum (Præjudiciis vacuorum) aptam calleat, utilia ab inutilibus separandi, hæc ex cerebro ejiciendi & paucissima retinendi, quæ apta sint sua sponte novas veritates, ad promotionem communis boni & destructionem mali manuducentes, inventi. Quod autem ea attinet quæ superius in studiis Academicis inter desiderata retuli, ostendet totus contextus, quod partim & horum desideratorum emendatio propediem sit speranda, aut quod jamdum non desint subsidia, Medico nostro non parvo usui futura &c. Interim non diffitemur, hæc omnia tamen id illustrare, quod jam antea defendimus, hanc curam Justitiae non ita promere & facile expectandam esse, sed requirere tempus, intra quod partim desiderata suppleantur, partim vero in Academicis Protestantium, (utinam & Pontificiorum) Doctores præ studiis nimis (quæ restrictio probe notetur) Antiquitatum Græcarum & Romanarum, antiquitatibus Germanicis, (ad minimum proximorum quinque seculorum) valde occultatis, & loco quæstionum subtilium & inutilem in omnibus disciplinis quæstionibus facile intelligendis & utilibus dent operam.

§. XIX. Neque tamen sufficit, ut his quæ haec tenus enarravimus, requisitis, Medicus Justitiae sit instrutus, sunt enim Medicus Justitiae preparatoria, sed insuper necesse est, ut consideremus paulo proprius methodum qua in ipsa emendatione protractionis justitiae ipse uti debeat, & qua non observata non possit exceptatus eventus obtineri. Hæc vero methodus non potest melius demonstrari, quam si Medicum nostrum Juridicum comparemus cum Medico Physico. Omnes justitiae, celeris aamidis nistrationis

disciplinæ practicæ ante omnia tradere perspicuum finis obtinendi cognitionem, sed non nimis subtilem aut plane phantasticam. Ita Medicus debet notitiam habere sanitatis humanæ prout communiter hodiernum in exemplis ostendi potest, non vero sibi imaginari sanitatem quan-dam Angelicam aut hominum in statu integratatis extituro-rum, vel etiam antediluvianorum, utpote de quorum vi-vendi genere & de causis tantæ longevitatis sufficienter non sumus instruti. Ita Politicus genuinus debet ideam sibi concipere Reipublicæ perfectæ, in exemplis non reipublicæ Platonicæ aut Ciceronianæ, neque in exemplis aliarum Re-rum publicarum quarumvis, sive Atheniensis sive Spartanæ, sive Romanæ, sive Constantinopolitanæ, sive Turcicæ, sive veterum Germanorum, omnium vero minimè in idea Rei-publicæ Pseudo Christianæ, id est in idea monarchiæ Papa-lis, sed in sola idea Reipublicæ Mosaicæ secundum do-trinam Christi à ceremoniis tanquam umbris rerum futurarum

g) repeate fu-pra dicta §. 10,

purgatæ g). Ita JCtus protractionem justitiæ emendaturus separabit falsos conceptus justitiæ celeriter administratæ à genuinis, examinando videlicet, an ista celeritas adjun-ctam habeat, vel justa ex causa in aliis exemplis metuen-dam injustitiam, vel aliud vitium Reipublicæ noxiū, in-quietet portio in modos administrandi justitiam variorum po-pulorum, tam intuitu causarum criminalium, quam intuitu civilium, eosque non solum inter se, sed & vel maxi-me cum administratione justitiæ Moisaca comparabit. Vi-des, quantus hic aperiatur campus meditationum plurima-rum non pedanticarum & inutilium, sed ad exercendum ju-dicium politicum aptarum & Reip. salubrium. Ita v.g. ju-dicium Salomoneum, judicium Regis, cuius nomen mihi jam non succurrit, depositum negantem per fictam bene-volentiam & permutationem pileorum, falsi convincentis, judicium Appii Claudii contra libertatem, judicium Sena-tus Butstadiensis, adversus homicidiam, tempore noctis intra-paucarum horarum spatiū à momento criminis commis-

fi &amp;

si & institutum & finitum & executioni datum h) aliaque similia exempla occasionem præbebunt observationibus variis doctrinam de emendatione processuum valde illustrantibus. In comparatione processuum apud varios populos usitatorum etiam comparatio erit inter alia instituenda, pro- cessus Romani sub Regibus, cum processu sub republica libera, ante & post receiptas XII. Tabularum leges, & cum processu sub Justiniano, item processus Germanici, ubi in dubiis causis duella judicialia erant in usu, cum processu subsequentium temporum, ubi per Clerum purgationes alias vulgares, sed maxime fallaces aut superstitiones fuerunt introductæ, donec tandem purgationes per juramenta partium cum multis aliis conjuratoribus obtinerent &c. Porro ostendendum erit, contra Octavium Pisatum, processum Inquisitorum Romanum fundamenti loco in suo Lycurgo Italico ponentem, istum processum nec administrare justitiam, nec administrationem accelerare, sed potius ad protractionem administrationis, & ad crudelissimam in- justitiam sub specie pia & æquissimæ justitiae secure exercendam, esse totum, quantus quantus est, inventum. Nec omittenda esset consideratio processus hodierni in Dania & Suecia, utpote qui intuitu processus in Germania recepti, hand dubie proprius ad communem finem Rerum publicarum omnium i) accedit, modo de eo aliquid, quod sufficiens esset, reprehenderemus in scriptoribus haec tenus editis. Sed tamen non deerunt alia media de ordine processus tam civilis quam criminalis in Dania & Suecia accuratorem acquirendi notitiam. Pertinet etiam ad hoc caput examen inquisitionis haec tenus frustra & sine successu ab aliis institute, k) qui putarunt in clausula Canonistarum sola veritate facti inspecti magnam latere efficaciam & cognoscendi genuinam naturam celeris processus, & suppeditandi simul remedii adversus prolixitatem processuum nostrorum. Quid quod & comparatio processus cambialis hodierni, cum processibus reliquis idem processus brevioris val-

h) vide Mülleri Annales des Hauses Sachsen ad ann. 1470. p.  
40,

i) conf. supra  
5, 1, 2, 3,

k) confer. B. Stryckii Differ- tationem de judicio Princi- pis juxta solam facili verita- tem,

de

de illustrabit. Alia ut jam taceam. Neque enim nunc omnia succurrunt ex tempore, ad istam prudentiam in Medico justitiae presupponendae partem pertinentia. Saltem haec attuli, ut doceam, argumentum hoc nequaquam esse sterile, sed maxime secundum si modo accedat homo diligens, probus, & judicio pollens.

## §. XX.

*12. Conceptus  
valde distin-  
ctos formare  
de longevi-  
tate processu-  
rum, & pro-  
tractione ju-  
sticie.*

Post perspicuum conceptum de sanitate humana, sollicitus esse solet medicus de cognoscenda natura & affectiōibus morborum, & quidem, non superficarie sed exacte considerando singula morbi symptomata. Pariter & Medicus Justitia non contentus est, nosse in genere, quod processus tam diu durent in Germania, prāprimitis civiles, & quod non desint exempla judiciorum summarissimorum ultra seculum durantium, quod inter centum processus ordinarios vix decem finiantur, reliqui vel ante sententiam definitivam ex tardio ab actoribus derelinquantur, vel, etiamsi subsecuta fuerit sententia definitiva, tamen execuzione destituantur, vel ob abusum remediorum suspensivorum, vel ob alias querelarum causas à reo in medium produetas & à judicibus indultas, & quæ sunt similia. Sed requiritur insuper ut distinctius consideret diuturnitatis hujus circumstantias speciales, & symptomata, eorumque causas. Offerent vero se hic, si initio materialia processuum, ut loquuntur, consideres, negotiorum ipsorum extrajudicia- lium tricæ, variis cautelis & formulis adjectis veterem simplicitatem non emendantes, sed corruptentes, nec securitatem partibus afferentes, sed potius occasionses multas litigare cupientibus præbentes. Offerent se summa juris incertitudo, legum ex quibus controversia dirimenda sunt, peregrinitas, carentia aptitudinis, ut à litigantibus intelligentur, earum pluralitas, multitudo, varietas, obscuritas, contradic̄tio, mixtura cum moribus toto cœlo à legibus istis differentibus, opiniones interpretum communes contra communes, & alia similia, eo conjunctim tendentia, ut nec advo-

advocati nec ipsi judices jura partium intelligere possint; et si singuli sibi contrarium persuadeant, & ita partes ad litigandum irritent, & tamen positis istis circumstantiis celerem iustitiae administrationem exhibere nequeant. Intuitu formalium processus offerent se alia infinita v. g. impertinentia & prolixitas libellorum, vel ea admiscentium quæ ad actionis iustitiam planè non pertinent, vel quæ demum in replicis adversus exceptiones Rei proponi debebant, vel denique ineptè concludentium; ineptæ cumulationes exceptionum tam dilatoriarum, quam peremptoriarum; negligentia Actorum in præstandis iis, quæ ante litis contestationem ab ipsis præstari volunt ordinaciones, multiplicatio sententiarum interlocutoriarum, dilationum etiam apertè frivolarum concessio; tediumstatis litis contestationum, protractio varia litium intuitu juramentorum, qua tamen debebant ex natura sua litis eventum celeriorem procurare; nova tediumstatas intuitu probatum tam respectu articulorum, quam interrogatoriorum, impertinentia, quod articulos & interrogatoria contra finem probationum, non judices faciant, sed partes; recognitions documentorum recognitione non indigentium; exclusiones Reorum à reprobatione, si actoris probatio jam publicata fuerit, disputationes super probationibus prolixissimæ, & impertinentes, judicium vel ignorantia, ut sententias ipsi concipere nequeant, vel pigritia ut eas concipere nolint, sed etiam invitis partibus ad collegia transmittant acta; transmisio actorum ad collegia, quorum assessores ipsi non fuerunt presentes liti, maximè vero transmisio actorum ad collegia extra locum litis, imo extra provinciam, horum collegiorum dissensiones circa intellectum legum & jura processuum, remediorum suspensivorum multitudo, nimis facilis concessio, admissio post rejectionem etiam aliquoties factam, nova tediumstatas in executione, excitatio concursus creditorum, hujus processus confusissima tractatio; advocatorum di-

E

spu-

sputationes de jure, & ineptæ allegationes legum & docto-  
rum, processus in scriptis, dilatations dilationum intuitu  
singularum positionum in scriptis proponendarum, mul-  
tiplicatio sportularum, quæ judices & advocati accipiunt,  
quo longius protrahitur justitia, aut intuitu advoca-  
torum, quo prolixiora sunt scripta. Taceo reliqua: nam  
hæc summatim indicata sufficere possunt, ad ideam gene-  
raliter formandam, quod totus processus in Germania à ca-  
pite ad calcem gangraena labore.

## §. XXI.

*Item 13. de causa principali & quasi causas tantum, quæ non sunt adeo cognitæ difficiles, sed in radice hujus remotiores & radices morbi.* Eodem modo & Medicus iudicatio non contentus erit investigare, quod ipsæ partes litigantes studeant impedire promtam administrationem iustitiae, & quod non solum reorum sit fugere, sed & quod sapè actores potentes idem faciant, si videlicet animo saltem reos pauperiores vexandi actionem instituant, quis enim ista ignorat? Non contentus erit observare, multos inter Procuratores & Advocatos Rabulisticæ operam dare, quin & inter judices ipsos, non paucos tantum non aper-  
te & quasi studio omnia committere, quæ ad differendam sententiam definitivam, aut ad impediendum, ne ea trans-  
freat in rem judicatam, aut denique ad procrastinandum executionem faciunt, & contra omnia ea omittere quæ ad promovendam iustitiam celerem administrationem condu-  
cunt. Non credet se multum promoturum esse curam iustitiae ægrotantis, etiamsi malitiam aut imperitiam utriusque classis inter se comparet, & vel omnia mala advocatis adscribat excusatis judicibus, vel judicum nequitiam & fraudes accuset, quibus impediendis omnium advocatorum curæ vix sufficiant. Potius considerabit partes litigantes, judices, advocates, ut membra corporis civilis ægrotantia, aut ut causas intermedias ab aliis causis depen-  
dentes.

dentes. Eodem etiam referet in Academiis Professores doctrinis suis juris incertitudinem augentes, & singularem æquitatem ordinationum receptarum circa processum commendantes, in primis dum observabit, si non omnes, multos tamen ex Professoribus, Judicibus, Advocatis, utpote meliora & saniora non edocetis, bona fide agere. Interim, cum simul ex historia politica doceatur, post introductas demum in Germaniam Academias & doctrinas Italicas, aut paulo ante, multiplicationem litium & protractionem justitiae administrationis fuisse ortam, serio inquiret, an non primaria causa justitiae ægrotantis doctrina istis & negligenti genuina doctrina moralis, & quæ hujus potissima pars esse debebat, juris Natura & Gentium, item neglecti doctrinae politicae, & plus quam superstitione ac tantum non idololatricae venerationi Juris Canonici sit adscribenda, in primis cum jam nonnulli ex Jctis protestantibus incepient ista damna ex Jure Canonico orta, penè inviti confiteri. Hoc autem firmiter & perspicue demonstrato, simul ostendet, totum penè cœtum Protestantium adhuc infectum esse Papismo eti non Theologico, Politico tamen & Juridico, atque adeò tandem tempus adesse, ut post instans Jubileum biseculare reformationis Theologicae, incepit aut progressus majores faciat reformatio Papatus Politico-Juridica.

## §. XXII.

Cognita morbi causa, Medicus, de remediis aptis cogitare debet. Eo maxore autem cum circumspetione de his debebit esse sollicitus, quo magis observabit, morbum tollendum per remedia haec tenus adhibita, non diminutum fuisse, sed hoc malum majora quotidie summissæ augmenta. Accidit id maximè in *inceptis*.  
*14. Et de remedio ad*  
*remedio ad*  
*hoc malum*  
*inceptis.*

E 2

in

in præcipuum ejus causam negligentes, non potuerint non remedia suppeditare parum apta ad obtinendum finem propositum. Intenderunt quidem omnes abbreviationem processus, strenuè circa eum finem laborarunt multi JCTi novis consiliis, ordinationibus, constitutionibus, decisionibus, & tamen nulla haetenus mali diminutio observata fuit. Ut vero alias agnitus stultitia est initium sapientia, ita etiam clara perceptio remediorum ineptorum est manuductionis instar ad invenienda remedia apta. Hic autem ante omnia ex ipsa medicina morborum corporis paucis præsupponendum erit, quæ nam remedia generaliter pro aptis, quænam pro ineptis habenda sint. Est Medicus minister naturæ. Natura vero humana solet aliquando ipsa intendere curationem corporis, per ejectionem humorum peccantium, hæc autem ejectione s̄pē fit per ipsos morbos v. g. febres aut alios. Quod si ejectione hæc sit nimis præcipita ta aut violenta, ut facile corruptio totius, & mors inde sequi possit, medicus cautus hanc præcipitantiam & violentiam arte sua temperat. Quod si intentata à natura ejectione per aliud vitium corporis impediatur, medicus ejectionem promovere & impedimenta removere intendit. Morbos alios directo ad corruptionem succorum & organorum, seu ad putrefactionem tendentes, quibus natura sola est insufficiens ad resistendum, medicus iterum supprimere intendit, corruptionem impediendo & naturam adjuvando. Utrobius igitur cavet à remediis violentis, nimis præcipitatis, effectus externos morbi saltem impedientibus, aut eos reprimientibus (die die Krankheit in Leib treiben) negleget. Et morbi formite seu causa præcipua & radicali, multo magis vero cavet à medicamentis morbum augmentibus, si mirum ipse neglecta aut ignorata causa vera morbi, & supposita alia falsa, vel secundaria causa ex effectibus externis, pluribus & diversis morbis communibus, medicamenta saltem ad tollendas illas causas secundarias aut falso suppositas direxerit &c. Eadem est ratio Medici iustitiae. Hic firmi-

firmiter persuasus, quod, cum tot remedia à Principibus & eorum ministris hactenus per aliquot secula serio adhibita, morbum magis auxerint, quam ut sustulerint, ea omnia haud quaquam ex regulis genuinæ prudentiæ fuerint deduccta, maxime dabit operam, ut ante omnia rationem hujus ineptitudinis perspicue cognoscat, ne non solum ipse iis amplius utatur, sed etiam ut errantibus causas erroris placide quidem sed cordate tamè sensibiliter quasi palpandas tradat, tum ut etiam inepta aliorum remedia prioribus opposita demonstret. Atque hic nova eaque multiplex observandi & differendi se offeret occasio, quam multiplicitatem adeo operam dabo, ut pro instituto differentiationis præsentis, paucis includam summis quibusdam classibus aut generibus. Considerabit igitur, quosdam defectus remediorum adhibitorum aut commendatorum esse communes curationi protractionis justitiæ, cum curatione aliorum morborum Reipublicæ, v. g. luxus & luxuriosa vita, cujus emendanda causa, penè tot leges & ordinaciones politicæ scriptæ sunt, quot ratione justitia hactenus comparaverunt. Non dicam hic multa, de remediis superfluitatis & Deum tentantibus, quales sunt publicæ & solennes preces ac processiones apud Pontificios, neglegentis emendationibus Politicis. Nam Deum tentat, qui neglegentis mediis naturalibus à Deo petit & sperat remedia supernaturalia, ut si mendicus laborare nolens, continuis precibus à Deo petat, ut per miraculum eum sustentare velit. Sed talibus remediis, nos quidem qui Protestantes dicimur, certe ubi de emendanda Politia vel Justitiæ administratione sermo est, non utimur. Potius ad hanc classem pri-mario referenda erit adhibitio in consilium hominum ineptorum, vel radicem morbi vel causam primariam non agnoscentium, vel certe remedia aperte ineptissima ad morbum tollendum suppeditantium. Tales autem fuisse Medicos in universum omnes, hactenus ad procurandam certam justitiæ administrationem aut luxus emendationem

adhibitos, sensus communis docet, quod tamen nec principibus tales consulentibus, nec consiliariis ipsis imputandum est, sed vitio seculi, & quod doctrina Politica seu genuinæ Medicinæ Politicæ nusquam fuerit tradita: non potuerunt ergo genuinam morborum, id est luxuriaz & protractaz justitiaz causam agnoscere, tantum abest, ut remedia apta suppeditare potuerint. Quin imo cum omnis prudentiaz regulaz suadeant, abstinentiam esse à remedii violentis, aut nimis precipitatam mutationem intendentibus, vel evidenter inefficacibus, doctum fuit communiter haec tenus, tam in Papatu quam extra eum, quod virtutia rerum publicarum, etiam multo tempore radicata tolli debant per leges luxuriam prohibentes, & celerem administrationem statuta pena præcipientes, ac certos biennii vel triennii terminos, litibus præfigentes. Docet hanc observationem praxis tot ordinationum Politicarum & processuum. Vitiis communibus & firmiter radicatis in animis etiam potentum, frustra leges ejusmodi opponuntur, & docere debuisset eos, qui Christianorum nomine ambitione utentes, scripta gentilium contemnunt, sapiens & evidenter rationibus repleta oratio Tiberii, (quamvis Principis I) Annal. lib. 3. cap. 52, seq. stulte legibus sumtuariis coercetur luxus, qui altas in re-publica radices egit, & quantopere prostituatur ejusmodi legibus autoritas imperantium. Imo plebeji homines id sciunt, jocantes, quod firmiter teneantur (vel potius secundum significatum vocis Germanicæ halten obseruentur) ejusmodi leges Politicæ, sed à januis templorum, quibus communiter affigi solent. Imo ipsos Recessus imperii pocula salutis prohibentes, nunquam in praxi observari, experientia testatur. In secunda classe remediorum ineptorum, pono remedia specialia, in corrigenda protractione justitiae haec tenus adhibita. Hæc classis iterum in duas alias subdividi potest. Vel enim talia remedia æque intendunt emendationem incertitudinis juris, sive materialium,

rialium, atque ordinis judicarii, sive formalium processus, vel in specie directa fuerunt ad emendationem processus judicarii ipsius. Ita quod priorem classem concernit, ultra sesqui seculum frustra tentata fuit emendatio incerti juris & tadiositi processus per novas constitutiones, decisiones, ordinationes processuales &c. quia videlicet causa primaria protractæ utrobiique justitiae, mixtura impertinens juris peregrini & potissimum Canonici cum moribus patris non solum intacta remansit, sed etiam tanquam causa & fundamentum præcipuum certi juris & senioris administrationis justitiae, repugnante licet sensu communi & quotidiana experientia, pertinacissimè supposita fuit atque defensa, cum tamen & historia & reæta ratio doceat, illam mixturam & illum processum Juris Canonici esse causam si non unicam, certè præcipuam juris incerti & protractionis justitiae. Quoad posteriorem classem specialiorem respectu processus ipsius, iterum se offerunt remedia, vel communia processui civili & criminali, vel specialia & processui civili aut criminali propria. Ad priorem classem, referto abrogationem omnium legum scriptarum, à quibusdam bona fide sed imprudenter propositam, & loco legum scriptarum commendationem judicij ex solis aquitatis regulis, item exclusionem eruditorum à judiciis, tanquam autorum hujus confusionis, item advocationum, quasi advocatis non sit opus, ubi justitia secundum solas aquitatis regulas administratur, denique procuratorum, quia evidens sit si partes ipse compareant, longè celerius expediri posse negotia judicialia; cum tamen contra cogitare debuissent horum consiliorum autores, ea ex variis causis esse inepta, partim quia nimis præcipitata sunt & violenta, partim quia confusio tanta & tam multiplex haec tenus regnavit, ut absque legum scriptarum auxilio, sine justo metu aquitatis cerebrinæ, eadem tolli nequeat, adeoque & eruditorum judicum & advocationum copia tamdiu est necessaria, donec certitudo juris & celeritas

tas processus prudentibus legibus fuerit introducta & longo usu stabilita. Procuratoribus autem omnino opus est, quia multæ sunt circumstantia quæ nequaquam permittunt, ut in omnibus causis sive civilibus sive criminalibus cognoscantur, sine evidenti reipublica damno partes ipsæ, ut in iudicio compareant. Eadem ratio suadet, ut & ista consilia ad inepta referenda sint, quæ commendant sportularum omnium tam intuitu judicum, quam advocatorum aut procuratorum abrogationem &c. Quod in specie processum criminalem attinet, alibi ostensum fuit à Dn. Præside, n)

m) In variis dissertationibus de processu inquisitorio, de origine & causa confusionis Criminialis &c.

n) in notis ad Lanceloti lib.

3. tit. I. §. 32,

not. 110. seq.

p. 1319, seq.

o) vid. B. Stry-

taverint o)

videlicet ve-

kii Dissert. de

judic. princ. so-

la verit. tact.

inspecta.

processum inquisitorum & per hunc tacitam abrogationem processus accusatorii, aut hujus cum processu inquisitorio confusionem, esse remedium ad promptam & justam iustitiae administrationem planè ineptum &c. Quod in specie processum civilem in etiam ostensum fuit n)

distinctionem juris Canonici in processum summarium & ordinarium esse confusissimam, obscurissimam & principalem protractæ iustitiae causam, adeoque quamdiu eadem, ut communiter in praxi obtinet, fundamenti loco in processu civili ponitur, frustaneam esse omnem emendationem processus civilis, sed potius ante omnia tentandum esse, ut omisisst istis solennitatibus processus ordinarii, omnia summarie tractentur, solis essentialibus & requisitis processus summarii retentis, sed ante omnia perspicue in ordinationibus processualibus declaratis. Quare & id remedium inter parum apta est referendum, quod quidam tentaverint.

o) naturam processus summarii, sola videlicet ve-

ritate facti inspecta, ex Jure Canonico & Canonistis ac Glo-

fatoribus exponere, cum potius Jus Canonicum & Canoni-

ta omnes confusionis autores sint.

### §. XXII.

*Et aptis, tam ratione emendationis omnibus remediis hactenus tentatis, pro solis remediis aptis habebit, quæ paulo tardius proceduntur & tanquam aliud agendo, corpus affectum præparant prius ad recipiendam cum fructu medicinam, radicem*

cem morbi tollentem, qui & ipse se Germania sensim insinuavit, & tediumstatem processus ac incertitudinem juris successive introduxit. Prudentissimorum Imperatorum symbola sunt: Festina lente. Pedentim, paulatim. Nullum quidem est dubium, retento jure peregrino & ejus mixtura cum moribus patriis, omnem curam juris incerti & prolixii processus esse frustraneam. Sed cum tamen jus peregrinum ita immixtum sit moribus patriis, ut difficilime & à paucissimis quidem ea mixtura distincte percipiatur, imo cum paucissimi adhuc ex membris Reipublicæ præcipuis hanc mixturam agnoscant, esse radicem morbi, sed potius nescio quam infelicitatem Reipublicæ sibi & aliis persuadeant, si Jus Justinianum & Canonicum tollatur, inde sua sponte sequitur, sublationem subitaneam juris peregrini, & reductionem subitaneam Reipublicæ nostra ad jus simplex & ferè certum, & ad processum de simplici & plano esse rem moraliter planè impossibilem. Accedit evidens & inevitabile damnum ipsius Reipublicæ, cum non possint non tentata ejusmodi aut per leges inculcata subitanea mutatione infinita familiæ, quæ haetenus supposita hac & ubique commendata juris peregrini mixtura, bona imo optima fide ejusdem culturæ dederunt operam, maximum damnum pati & tantum non fame, perire cogentur. p) Quare primum idque præcipuum remedium aptum ad celeriorem administrationem justitiaz promovendam nobis videtur *tolerantia doctrinæ Academicæ*, demonstrantis per inductionem & rationibus evidenter, mixturam hanc esse præcipuum mali causam, & ostendentis in quo ista mixtura consistat. Ortum est malum à doctrinis Academicis & inde in forum & Aulas prorepit. Äquum ergo & prudens est, ut medicina mali similiter ex Academiis oriatur & se insinuet animis eorū, qui officia forensia & aulica ambiunt, & ab his commendetur postea ac in praxin ducatur. Dico *tolerantia*, non præceptum

F

ptum

p) Conf. præfat. Dn. Præfid.  
ad not. ad Inst. & Pand. §. 10.

ptum. Eodem enim modo malum fuit in rempublicam introductum. Virtus & omnis bona doctrina est sui ipsius præmium, nec adeo præmiis aut legibus habet opus, nisi ad tutelam adversus ejus hostes. Nec promoverent leges doctrinam illam salubrem, si eam præciperent. Neque enim eadem paratur pro lubitu, sed longis meditationibus & vigiliis ad eam acquirendam est opus, adeoque per leges nequaquam formatur in animis docentium. Quomodo enim hi docebunt quod non didicerunt? Adde quod etiam sub specie, ac si legibus parerent, se occultatur sint hostes veritatis. Prioris exemplum præbere potest instituta in Academia vicina ante aliquot annos professio juris Saxonici, posterioris, lectiones à Jesuitis passim in Augustanam confessionem sub ea specie institutæ, quasi inter Pontificios & Evangelicos vel nullus vel sanè levissimus sit dissensus. Quod ipsam doctrinam mixturæ attinet, optandum equidem esset, ut docentes inciperent à Jure antiquo Germanico & lectionibus in speculum Saxonum, cum melius haec tenus de antiquiore jure compendium non habeamus: Sed hoc quidem, non tam propter latram invidorum, collectorem optimum & prudentissimum impudentissime calumniantum, quam ob singularem difficultatem, & ubique adhuc regnantem ignorantiam terminorum linguae patris antiquioris, non facile est sperandum. Ergo proderit, tamdiu, donec ista ignorantia decrescat, ut Jcti Academicci pergant in explicatione singularium titulorum Juris Civilis & Canonici, ac mixturam, ejusque inconvenientiam ostendant, ac juris incertitudinem & processus prolixioris ortum ex ea mixtura, vivis coloribus depingant. Cum vero maximum momentum afferat ad comparandam veram eruditionem connexio doctrinarum, operam dabit docens, ut doctrinas suas ad quædam præcipua genera aut classes, quantum fieri potest, reducat. Ita v. g. sapius affinitate terminorum deceperunt Ger-

Germanos Jureconsulti Italici, ut putarent jura Romana jam ante ejus introductionem obtinuisse in Germania. &c. cum tamen jura Germanica toto cœlo à jure peregrino fuerint diversa & adhoc hodiè sint. Exemplo patriæ postfatis item actionis legis Aquiliæ peculiaribus dissertationibus id illustravit Dn. Præses. Eodem pertinet divisio peculiorum & doctrina tutela applicata ad bona Germanorum paterna vel avita & adventitia, item ad pupillos Germanorum, cum tamen utrobique adsit maxima differentia, ut ab eodem in notis ad institutiones & pandetas debitibus locis est ostensum. Ita porro nullum est dubium, tam de jure Romano quam de Jure Canonico, titulos, etiam in ipsis Codicibus non connexos, plurimos tamen, cum aliis titulis talem sepè connexionem habere, ut uno titulo principali non recepto in Germania, sine dubio etiam non recepti sint, aut certe non nisi ineptè recipi potuerint tituli ex priore tanquam conclusiones ex præmissis deducti. Sic nemo fere dubitat, pacta nuda in Germania actionem producere. Sed de titulis aliis juris Romani, propositionem quod pacta nuda eo jure actionem non producerent, fundamenri loco supponentibus, (quorum sane multi sunt;) Practici vel qui autores fuerunt noviorum ordinationum, initio & progressu præcedentis seculi in variis variorum Statuum provinciis publicatarum, mire & misere inter se dissentire solent, ob ignorantiam videlicet earum connexionis. Sic in jure Canonico ignorantia connexionis plurimarum doctrinarum de matrimonio cum principio Canonistarum, matrimonium esse Sacramentum, effecit, ut plurimæ ex ipsis conclusionibus in judiciis Protestantium retentæ fuerint, quamvis principium ipsum de sacramento matrimonii jam diu fuerit rejectum. Ita tertio nullum est dubium, æquitatem, speciosam quidem prima fronte, sed si attentius consideres, mere cerebrinam, esse causam præcipuam, cur, si non omnes, plurimæ tamen

dispositiones Juris Justiniane & Canonici ex Academiis in Ordinationes Politicas & Processuales promota fuerint, quæ non potuerunt non jus valde incertum & male cohærens ac maximam etiam processus tardiositatem producere. Sic, ut unico saltem exemplo hanc observationem declarerem, sana ratio suadet, ut leges sint paucæ, breves, perspicuæ, & universales, paucissimis & non nisi evidenteribus & probè palbabilibus, ac ab omniibus civibus cuiusunque conditionis, modo judicio naturali polleant, facile intelligendis, nec multum arbitrio judicis relinquentibus declarationibus, vel limitationibus, vel exceptionibus stipatae. Tales fuere leges quondam Germanorum, ut ex speculo Saxonico patet: Contrà maxima pars Juris Justiniane & Jus Canonicum tantum non totum in hanc doctrinam fundamentalem prudentiae legislatoria gravissime impingit, utsipote cum nulla pene regula sit, quæ non plurimis declarationibus vel limitationibus valde obscuris, & non nisi æquitate cerebrina subnixis gaudeat, quibus tot sublimitationes, & harum sublimitationes eodem defectu laborantes sunt additæ, ut ex Mascardi, Menochii, Farinacii & similium Pragmaticorum scriptis ad oculum patet. Unicum saltem hic exempli loco licet adducere SCum Vellejanum, & quæ commentatores de ejus declaratione vel limitatione, deque requisitis renunciationis docere solent, cuius specimen aliquod dedit Dn. Praes in Dissertatione de exiguo usu SCti Vellejani in foris Germania. Hanc observationem si negligat Medicus justitiæ, frustra tentabit doctrinas juris & administrationis justitiæ, etiam ubi tempus fuerit talia tentandi, præceptis includere, & novum codicem vel novas ordinationes processuum componere &c.

*Quæ provatio-  
ne canticis,  
ne malum in-  
terea altiores  
radices agat.*

### §. XXIV.

Denique, quemadmodum Medicus prudens, cum ad curandum ægrotum vocatus est, in cuius corpore morbus jam

jam altas radices fecit, quas statim expellere absque evidenti ægrotantis periculo non licet, de eo est præcipue sollicitus, ut medicamenta patienti corpori applicet quæ saltem impedian, ne interim morbus altiores radices agat: Sic & Medicus justitiæ prudens operam dabit, ut, donec circumstantiæ suadeant, novo codice & nova ordinatione processuali, ipsos radices tediumsisimi processus haec tenus ubique regnantis tollere, præcidantur interim illi abusus, qui post causam illam principalem protractæ justitiæ fuerunt causæ proximæ ingravescenis hujus morbi Politici, ne malum interim latius serpat. Ita evidentissimum est, & à plurimis jam ultra seculum inculcatum, inter causas protractæ justitiæ unam ex præcipuis esse processum in scriptis, & quod scripta ipsa sint confusissima, prolixissima, ac disputationibus impertinentibus ubique repleta, & de jure ipso contra principia politica prolixe & impertinenter rixantia. Jam optandum equidem esset, ut hoc malum simplici abrogatione processus in scriptis, ac simplici prohibitione uno iectu quasi tolli posset. Sed cum tamen multæ circumstantiæ jam suprà hinc inde recensitæ, persuadent, tentamina talia, si intentionem spectes, valde quidem commendanda, in praxin tamen deduci non posse, circumspicit Medicus Justitiæ de temperamenro, ut ita dicam interimistico, quo id saltem effici possit, ut hoc malum pedetentim decrescat. Non patitur instituti ratio, ut id remedium hic latius exponam, interim non desunt quædam in viciniâ Saxonîâ judicia, quæ magno cum fructu tali remedio haec tenus usa sunt, & adhuc utuntur. Porro quod specialia Processus recepti capita, aut singulares ejusdem titulos concernit, multa etiam ibi inveniet Medicus Justitiæ circumspetus, quibus interim abrogatis si non omnimoda, saltem aliqualis processuum abbreviatio obtineri queat, cum doctrinæ illæ evidenter nullum usum habeant nisi promtam justitiæ administrationem impediendi,

& magnam partem ex imperita ac falsa explicatione juris Romani aut Canonici ortæ sint, earumque abrogatio promota non difficulter absque justo damni illius metu fieri queat. Ut saltem hanc observationem paucis exemplis declarem, provoco ad dissertationes Dn. Præsidis de revocatione tacita mandati judicialis, & de emendandis quibusdam litium protractionibus in materia juramenti parti à parte in judicio delati hactenus receptis.

## §. XXV.

*Conclusio additis monitis quibusdam.* Hæc sunt, quæ de charactere & circumspectione Medicis ad curandam tædiositatem processuum adhibendi in genere monenda habui. Non omnia adduxi, quæ huc pertinent, sed præcipua saltem. Nam regulæ prudentiæ sacererunt ut non pauca omitterem studio, cum ea fortè nondum concoquere possent animi dissentientium, adhuc multis præjudiciis immersi. Quod si quibusdam nonnulla in hac dissertatione videantur paululum obscuriora aut nimis superficiarie tractata, illi cogitabunt, ea quæ hic dicta sunt, saltem summatim & quasi per indicem delineare in singulis fere paragraphis, potissimum autem ea, quæ à paragrapo decimo nono de methodo in ipsa cura adhibendis agunt, materias plurium dissertationum novarum, quæ doctrinas ibi propositas fusius atque distinctius explicare debent. Liceat tamen hic circa finem dissertationis adhuc monitum aliquod addere ad declarandam observationem anonymi apud Wehnerum q) qui recte quidem monet: non debere committi consilium emendandi processus illis, quorum intereat, ne justitia promte administretur; sed hoc tamen ita puto esse intelligendum, ne plane à consilis ejusmodi excludantur judges & advocati. Etsi enim multi in utroque ordine valde ament tædiositatem processuum, sunt tamen etiam non pauci, qui & Leguleismum & artem Rabu-

q) Observ.  
P. 403.


Rabulisticam valde oderunt, ac de dāmō Josephi serio dolent, quique adeo vel ob experientiam in rebus agendis multo aptiores sunt ad consilia de emendanda jurisprudentia danda, quam Doctores merē theoretici. Sed istud tamen simul notandum, plerumque viros etiam optimos ea laborare imbecillitate, ut si advocati sint, putent judicūm quorundam malitiam esse præcipuam mali causam, si judices, idem de advocatis sentiant. Unde si judices consilia emendandorum processuum dant, unice ferē dant operam ut advocatis præscindatur occasio fraudem faciēndi ordinationibus processualibus, ac ut horum excessus & abusus pœnis debitūs correantur, plurima tamen capita relinquantur arbitrio judicūm definienda. Contra advocateūm consilia eo ferē tendunt, ut judicūm peccata impeditantur, omisis vel saltem leviter notatis peccatis advocatorum. Testantur hanc observationem non pauca consilia tam antiqua quam hodierna. Quare ego quidem valde consultum esse arbitror, ut ex utraque classe ad consilia de emendanda justitia danda adhibeatur vir aliquis pius ac prudens, & si forte hi in delineanda nova ordinatione non convenient, ut adhibeatur tertius, qui nec ordini advocatorum sit adscriptus, nec judicis gerat officium, ipse tamen & quondam advocatus fuerit, & judicis officio funetus, aut saltem in concipiendis sententiis ad aetajudicia lia exercitatus, adeoque hoc intuitu à studio partium alienus. Denique nec illud forte injucundum aut inutile erit addere, quod valde quidem gavisus fuerim, cum mihi de elaborando themate præsenti sollicito in manus incideret, Pacis Scalæ Jcti Patavini tractatus de consilio sapientis in forensibus causis adhibendo, utpote cum titulus hic spem in me excitaret, me multa in eo Autore reperturum esse monita scopo meo inservientia, in primis cum eidem libello additam viderem aliam dissertationem de contractuum atque ultimatum voluntatum compositione ad sensum sapientis.

entis. Sed paulo attentius inspiciens deprehendi autorem non intendisse unquam, ut de consilio sapientis in emendando processu, sed saltē ut de responsis & sententiis JCtorum in causis forenibus ageret, neque in toto libello, etiam circa eam quam tractat materiam, vel micam veræ sapientiæ aut prudentiæ apparere, quod tamen non tam defectui Autoris adscribere velim, quam communi errori etiam hodienum apud nos regnanti, quod, qui pro eruditio haberi vult, sacro autoritat̄ præjudicio immersus esse debeat, at ex centum ac nonaginta novem autoribus excerpta in ordinem redigere ac ita novum quendam tractatum erudito orbi exponere. Quamdiu hi mores etiam apud nos florent, tamdiu etiam de omni vera ac genuina prudentialia eorum qui JCTi audiunt, desperandum est. Non se solum equidem sapientem esse credit homo prudens, sed alios audit, legit, examinat, verum hoc facto rejecta omni humana autoritate secundum phrasin scripturæ ex theſauro cordis sui scribit.

## T A N T U M.







Halle, Diss., 1717 St-2







1193

D. B. v.  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**CHARACTERE**  
**& CIRCVMSPETIONE**  
**MEDICI AD CVRANDAM TÆ.**  
**DIOSITATEM PROCESSUUM**  
**ADHIBENDI,**

*Quam*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DOMINO CAROLO,**  
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE  
BRANDENBURG. reliqua,  
IN REGIA FRIDERICIANA,  
PRAESIDE

**DN. CHRISTIANO THOMASIO,**  
JCTO, S. REG. MAJ. BORUSS. CONSILIARIO INTIMO,  
ACADEMIÆ DIRECTORE, PROFESSORE JURIS PRIMARIO, AC  
FACULTATIS JURIDICÆ PRAESIDE ORDINARIO,  
*Ad d. 29. Julii M DCC XVII.*  
horis locoque solitis,  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET,  
**JOHANNES JACOBVS DANN,**  
REUTTLINGENSIS.

*HALÆ MAGDEBURGICÆ, Literis Salfeldianis,*